DE

CHOËPHORIS AESCHYLI

ET

ELECTRIS SOPHOCLIS ATQUE EURIPIDIS

INTER SE COMPARATIS

DISSERTATIO.

Conscripsit

J. JOHANSSON.

DE

CHOËPHORIS AESCHYLI

ET

ELECTRIS SOPHOCLIS ATQUE EURIPIDIS

INTER SE COMPARATIS

DISSERTATIO.

Conscripsit

J. JOHANSSON.

Upsala

Edquist & Berglund. 1864.

De Choëphoris Aeschyli et Electris Sophoclis atque Euripidis inter se comparatis dissertatio.

Conscripsit

Joh. Johansson.

Omni præteritæ ætatis monumento intelligentibus nobis animos nostros tanto magis capi atque teneri, quanto plus in eo vitæ atque humanitatis cernitur quantoque vehementius ad cultum nostrum atque eruditionem pertinet, mirum minime videri potest, si in præclarissimis illis, quæ Græcorum antiquitas reliquit, cognoscendis, ut quæque ætas humanitati maxime studuit, ita maximam semper operam locavit atque consumpsit. Quæ monumenta, quamquam partem tantum exiguam complectuntur eorum, quæ populus ille uberrimo et maxime exculto ingenio plurima protulit, tanta tamen sunt quum rerum ubertate tum vero tam eximia forma atque elegantia, ut, quicumque ad optimum studium erecta mente instructus ea semel aspexit ac vel leviter attigit, ejus animus non possit agentibus illis et acribus, quas illa expressas ei aperiunt, imaginibus pulcherrimæ vitæ, quam suæ ipsius si non consimilem, at certe cognatam esse sentit, non percuti ac devinciri et summo desiderio atque studio non imflammari vitam illam diligentius cognoscendi, quam ad se tantopere pertinere animadvertit. Ex his igitur fontibus acerrimi semper viri res repetiverunt cognoscendas; hæc sibi exempla artifices omnis generis ad imitandum proposuerunt. Quod tametsi in ceteras etiam artes convenit, præcipue tamen quum de omnibus literis optimis tum de poesi dici potest, quarum maxima admiratione omnium temporum homines elegantes affecti fuerunt et propter egregiam earum formæ pulchritudinem ornatamque rerum concinnitatem, quarum ad perfectionem vix quicquam accedere potest, et quia in ipso mentis motu atque agitatione proponenda versantur. Has autem virtutes in nullo genere magis, quam in poesi scenica inesse apparet inprimisque

in tragoedia, quæ non modo ad formam plane singulari artificio est perfecta, verum etiam res ante oculos ponit gravissimas et ad ipsum populi ingenium ac mores quam maxime pertinentes. Illa ut erat inventa, qua non modo delectarentur homines, sed dii etiam colerentur, ita altius semper assurrexit. E lyrica arte atque epica orta et quasi conflata neque illius altitudine et magnificentia caruit neque hujus majestatem atque gravitatem non habuit. Quæ facta tragoedia Græca celebrata sunt, magnificentissima fuerunt et aptissima, unde appareret, quibus in rebus vera virtus humana cerneretur quantumque in fortuna mortalium momenti facerent dii immortales; quæ consilia atque animi sensa et chorus et personæ, in scenam inductæ, tum canendo tum colloquendo pronuntiarunt, ea factorum adæquarunt magnitudinem. Cumque iis Græcorum temporibus ea maxime floreret, ubi non modo maximis omnium rerum copiis abundarunt, verum etiam ad summam eruditionem pervenerant, cognitionem patet ex illa posse percipi certissimam, quid magnificum atque excelsum in ipso Græciæ flore homines cogitaverint de rebus et divinis et humanis, quid maxime iis et expetendum et fugiendum visum sit. Quæ quum ita sint, facile est intellectu, quantum in hoc genere literarum Græcarum cognoscendo omnibus ponendum sit, qui antiquitatis illius populi sunt studiosi ejusque humanitatem, quæ ad nostram ipsorum conformandam tantum valuit, tenere cupiunt.

Quæ mecum reputanti operæ mihi pretium videbatur in hoc studio industriam meam ponere, si, qualis maxime exculta tragoedia Græca esset, intelligere possem. Quod ut efficeretur, facile mihi persuasi, satis non esse in unum quendam poetam tragicum conferre studium, sed omnes esse pervidendos. Cumque iniquitate temporum factum sit, ut permulta tragicorum scripta ita perierint, nihil ut eorum nisi paucissimæ reliquiæ restent, eo diligentius sunt ea, quæ exstant, pervolvenda ac perscrutanda. Exstant autem tragoediæ, si pro magna earum multitudine, quæ aliquando doctæ sunt, perpaucæ, at satis multæ, ex quibus, omne genus quibus virtutibus floruerit, judicari possit; præsertim quum a poetis illæ sint conscriptæ, qui ceteris omnibus tragicis omnium consensu longe præstiterint in iisque sint nonnullæ, quæ omnium, quæ umquam datæ sunt, veterum ipsorum scriptorum testimonio præstantissimæ fuerunt. Jam vero cum constet principes illos tragoediæ Græcæ, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, quamquam in suo quisque genere ita excellit, ut quis optimus sit vix dijudicari possit, et quamquam tempore non ita multo distant, arte tamen ita esse inter se dissimiles, ut in iis tres diversæ quasi ætates tragoediæ conspiciantur, nihil mihi videtur ad tragoediam cognoscendam antiquius, quam ut eorum omnium

nobis quam accuratissimam cognitionem pariamus. Quod ut assequamur et, quarum quisque virtutum laude eluxerit et alius alium præstiterit, ut intelligamus, necessarium est eos inter se conferre atque comparare. Ad hujusmodi autem comparationem instituendam peropportune mihi videtur accidisse, quod non modo Sophocles, sed etiam Euripides easdem res in Electris suis, quas in Choëphoris antea Aeschylus, tractavit eæque fabulæ omnes ad nostram ætatem salvæ venerunt. Nihil enim dubito, quin, si hæ tres tragoediæ inter se comparentur et, qua quæque arte sit composita, examinetur, futurum sit, ut quum universa Græcorum tragoedia qualis fuerit tum horum tragicorum cujusque ars quibus virtutibus floruerit, et facilius et melius intelligatur, quam si aliæ quælibet tres eorum fabulæ inter se conferantur. Ad quam meam sententiam haud scio, an nemo non sit accessurus, nisi qui sibi persuaserit, neque argumentum illud commune, quod in his fabulis tractarunt poetæ, tragoediæ componendæ accommodatum fuisse neque similem omnes diligentiam atque curam in illo tractando consumpsisse.

Constat autem et in Choëphoris Aeschylum et in Electris Sophoclem atque Euripidem, quo modo Orestes, Agamemnonis filius, a Clytæmnestra matre socioque illius Aegistho poenas repeteret cædis paternæ, proposuisse. Hæc actio, quæ in ulciscendo versatur, primo illa quidem aspectu nobis, qui nostri sunt mores atque religio, tragoediæ majestate parum digna videtur. Sed memoriam puto esse repetendam temporum antiquissimorum, si de illorum, qui tum fuerunt, hominum dictis factisque recte existimare volumus. Vigebat, ut apud omnes fere vetustissimæ antiquitatis gentes atque etiam apud hujus ætatis paucas, sic apud priscæ vetustatis Græcos ille mos, ut par pari referretur. Quod jus talionis non ab hominibus inventum, sed a diis ipsis sanctum habebatur et a religiosissimo quoque servabatur diligentissime. Quamobrem, si quis nece affectus erat, proximus quisque illius pro sanctissimo habebat officio poenas cædis ab interfectore repetere. Neque profecto hanc consuetudinem tam absurdam censebimus et a recta ratione alienam, si meminerimus, nullam illis temporibus fuisse legibus atque institutis temperatam civitatem, quæ justum supplicium ac scelere quoque dignum constitueret et improbos homines, quum injuste facerent, poena afficeret debita. Hinc enim factum est, ut singulorum esset pro viribus et quacumque ratione sua ipsos tueri et a violantibus defendere. Hoc autem officium consentaneum erat tanto majus a quoque haberi, quanto magis ea, quæ erant defendenda, ad se pertinere putabat. Quod quum cognatos et consanguineos inter se vehementer pertinere ac maximo necessitudinis vinculo conjunctos viderent, nihil antiquius habebant, quam ut, si cui nex illata esset, ii, qui cognatione eum maxime at-

tingerent, poenas ab eo, qui cædem fecisset, expeterent justas. Fieri tamen potuit, ut, qui injuriam intulit et qui eam accepit ejusdem essent familiæ, cognatique esset in cognatum vindicare. Tum vero apparet duo ulciscentis officia in contentionem ita venisse, ut alterum servari non posset, quin alterum violaretur. Hoc ipsum videmus in Oreste factum esse. Pater erat interfectus. Cædem fecerat mater. Utrique magnam debuit pietatem. Quamobrem, si officium patris usciscendi præstaret, jura materna perverteret; sin autem hæc servaret, impius esset in patrem. Neque vero hoc ipse Orestes non intellexit probissime. Intellexit idem alterutrum esse faciendum. Officio igitur, quod patri debuit, satisfaciens matrem interfecit. Hæc res, si ad antiquissimæ ætatis ingenium atque mores exigitur, nonne vi vere tragica ornata videtur et aptissima, quæ in scena oculis spectantium subjiciatur? Ad animos metu et misericordia commovendos nonne accommodatissima est? Adde, quod, memoria hominum tradita et a poetis etiam inde ab Homero sæpius tractata, tanta famæ celebritate apud Græcos insignis ea erat, vix ut ulla alia tantopere eo nomine commendaretur. Quod quanti tragicorum interfuerit Græcorum, nemo non videt, qui cognitum habet, receptum eum fuisse morem, ut omnes fere res, quæ in scena tragica agerentur, ex historia repeterentur fabulari et in hominum ore vigerent.

In hoc vero argumento tractando affirmare non possumus, omnes tres tragicos simili studio atque diligentia versatos esse. Nam fabulæ illæ, in quibus Aeschylus id et Sophocles tractarunt, in præstantissimis eorum et maxime elaboratis sunt numerandæ, Electra autem Euripidea, quæ fabula in eodem versatur, aliis compluribus, quas Euripides conscripsit, multo inferior est judicanda. Nihilominus autem, quamquam ita se res habet et quamquam probe intelligimus, omnem Euripidis artem hac ejus tragoedia multo minus, quam artem Aeschyli et Sophoclis suis utriusque fabulis, de quibus hoc loco agitur, metiendam esse, non tamen dubitamus, quin, si, qua arte Electram suam Euripides composuerit, penitus cognoverimus, non paululum intelligentiæ simus omnis ejus artis, qualis fuerit, habituri, et cum Choëphoris Aeschyli atque Electra Sophoclea si eam comparemus, quibus omnino virtutibus tragoedia Euripidea ab utriusque prioris tragoedia distulerit, quam optime intellecturi.

His præpositis satis indicasse mihi videor, quamobrem alienum mihi non videretur de Choëphororum Aeschyli et Electrarum Sophoclis atque Euripidis tragoediis aliquid disputare, qua ratione a suo quæque auctore instituta et qua arte exædificata videretur. Quam disputationem ita institui, ut primum compositio Choëphororum qualis esset, diligenter quærerem; deinde Electra Sophoclea quomodo esset compo-

sita et quid proprium, quid cum Choëphoris commune haberet, examinarem; postremo qua ratione Euripides in Electra sua componenda versatus esset quibusque rebus quum similis esset tum dissimilis priorum alterius amborumve, perscrutarer.

De Choëphoris Aeschyli.

Hanc tragoediam constat mediam esse partem trilogiæ illius Aeschyleæ, quæ, Orestiæ nomine inscripta, ex Agamemnonis et Choëphororum et Eumenidum fabulis constat. Quæ trilogia quum opus sit summo artificio perfectum, apparet singulas ejus partes, quippe quæ artissimo artis vinculo inter se contineantur, nullo modo posse neque penitus intelligi neque recte judicari, nisi universi operis ratio est cognita atque perspecta. Non modo argumenti perpetuitate, verum etiam singulari quadam compositionis arte ita cohærent Orestiæ tres tragoediæ et inter se coëunt, ut, qua perfectionis laude, si conjunctæ respiciuntur, florent, ea aliquantum minuatur, si separatæ spectantur. Agamemnonis enim fabulam qui perlegerit, facile perspiciet non pauca in ea inesse, quæ supervacanea videantur et a fabulæ actione aliena. Cassandræ vaticinium, quo præter alia præcinit, Orestem aliquando in matre graviter vindicaturum esse[1]), quid ad eam tragoediam, quæ in nece Agamemnonis vertitur? Atque earum rerum, quæ post cædem aguntur, nonne magna pars præter rem ac vitiose adjuncta videtur, nisi primus quasi actus habetur Agamemno ejusdem magnæ fabulæ, cujus secundus et tertius actus sunt Choëphori et Eumenides[2])? Neque vero alia est ratio exitus Choëphororum, ubi Orestes indicat, se Delphos ad Apollinem fugiturum, ut a furiis, a quibus exagitari coeptus est, liberaretur. Hanc enim rem apparet alienam esse a Choëphororum actione, quæ in vindicta Orestis versatur, et ad eam, quæ sequitur, fabulam, in qua Orestis liberatio proponitur, quam maxime pertinere. Sunt etiam nonnulla in Choëphoris, quæ, quamquam ad rem vehementer pertinent, magis tamen significata, quam ante oculos posita videantur. Hoc autem in eo positum esse patet, quod inutile habebatur ea iterare, quæ nuperrime in superiore fabula uberius exposita et oculis spectantium subjecta erant. Cujus rei unum exemplum attulisse satis habeo. In priore fabula quoniam satis dilucide erat propositum, quæ ratio inter-

---

[1]) Agam. v.v. 1279—85. Ubi locos Aeschyleos attuli, editionem Dindorf. secutus sum. Lips. 1857.

[2]) Cfr. A. G. Schlegelii Vorlesungen üb. dram. Kunst u. Litteratur ed. III. V. I. p. 94. et Mor. Rappii Geschichte des gr. Schauspiels p. 31.

cederet inter Aegisthum et Clytæmnestram quamque ille partem in cæde Agamemnonis haberet[1], hæc res in Choëphoris pro cognita habetur et tantummodo perstringitur. Eumenidum denique tragoediam, quæ extremum trilogiæ locum obtinet, mirum quantum virtutis ac præstantiæ esse perdituram, si per se spectata judicaretur, non est difficile ad intelligendum, si priores perspectas habemus. Neque vero Aeschylus has tragoedias separatas judicari voluit, sed una auditione eas omnes deinceps docuit.

Quæ quum ita sint, necessarium mihi videtur ad intelligentiam Choëphororum, priusquam ad propositam disputationem ingrediamur, de universa Orestiæ ratione atque consilio nonnulla disserere.

Quæ in ore hominum vigebat et a poetis quoque, non modo epicis, verum etiam lyricis, tractata erat[2]) memoria de domus Agamemnoniæ clade, eam voluit Aeschylus ad actum scenarum accommodare et ex sua arte suæque ætatis ingenio ac moribus pertractare. In tribus igitur Orestiæ continuatis et inter se aptis tragoediis ante oculos spectantium proposuit res eas omnes, quibus tota illa clades[3]) contineretur, et id quidem ita, ut quam maxime appareret, homines, si leges divinas temere violarent et, monitis deorum neglectis, sine moderatione animi nihil nisi effrenatas suas cupiditates curarent, serius aut citius comprehendi justitia divina[4]) eorumque prava consilia ex divina rerum gubernatione in ipsorum semper capita recidere. Justitia enim divina, quemadmodum in omnibus Græcorum tragoediis, quam præsens sit et quomodo in maleficiis puniendis spectetur, ante oculos ponitur[5]), ita egregie quum universa hac trilogia tum singulis ejus partibus celebratur. Juppiter autem, cujus filia esse dicitur[6]), legem justitiæ condidit atque tuetur (quare *δικηφόρος* appellatur[7])), eamque qui superbius conculcavit, preces ejus nemo deorum audit neque ab interitu quicquam

---

[1]) Agam. vv. 1434—7; 1577 sqq.

[2]) Necem Agamemnonis et vindictam Orestis Homerus multis locis commemorat, ut Od. 1. 35—44, 298; 3. 235, 304—10; 4. 524—37; 11. 405—40; 24. 200. Post Homerum Agias Troezenius poemate epico, quod *Νόστοι* inscribitur, eas res celebravit. Cfr. F. G. Welckeri Epische Cyclus V. I. p. 281 sqq. et G. G. Nitzschii Beiträge zur Geschichte d. ep. Poesie p. 280 sqq. Inter lyricos cecinit eas Stesichorus carmine suo *Ὀρεστεία* eumque narrat Athenæus (Lib. 12. 513) auctoritatem Xanthi melici secutum esse. Cfr. Hartungi Archilochos und d. dor. Liedendichter p. 167. Etiam Pindarum videmus eas carmine Pyth. XI. cecinisse. [3]) Vide Hermanni Sophoclis Electræ ed. II. p. VIII. [4]) Ch. 61 sqq. [5]) Cfr. G. H. Platner: Ueber die Idee der Gerechtigkeit in Aeschylus und Sophocles p. 191. C. F. G. Hasselbachii Sophokleisches p. 194. G. G. Nitzschii Sagenpoesie der Griechen p. 432—40. [6]) Ch. v. 949. Hesiod. Th. 902. [7]) Agam. v. 525.

eum defendit[1]). Fieri quidem potest, ut poena, qua tenetur sceleratus, aliquamdiu differatur atque etiam apud inferos demum ab eo expetatur[2]) aut ad liberos ejus vel nepotes reservetur[3]), remitti vero aut oblivione obliterari nullo modo potest. Quamdiu Juppiter imperium rerum tenet, tamdiu hoc manet et ratum est, ut quæ quisque fecerit, illa sint ei patienda, pro voce inimica inimicam vocem, pro vulnere vulnus, mortifera pro plaga plagam mortiferam[4]). Ex hac talionis lege poena tenentur omnes, qui præcepta non servant de verecundia deorum, de pietate erga parentes cognatosque et patriam, de hospitibus reverendis supplicibusque tradita; quæ tres fuerunt Græcorum vitæ quasi rhetræ[5]). Hæ leges violatæ inexpiabili religione erant sanctæ[6]), quod ejusmodi delictorum impunitas quam maxime esset rerum ordinem diis custodiendum disturbatura. Ex quo genere Paridis erat violatio hospitii, quod peccatum nullo piaculo poterat expiari quodque ut ulcisceretur Juppiter hospitalis in eum et in Trojanos, qui ei studerent, mittebat Atridas. Recte igitur neque Jove invito voluit Agamemno poenas læsi hospitii a Trojanis repetere; injuste autem fecit, quod magnum exercitum collegit et omnem fere Græciam ad partem rei, quam Atridarum erat gerere, vocavit. Ita enim effector fuit tot tantarumque a Græcis in bello Troico acceptarum calamitatum et tam multorum hominum interitus auctor[7]). Quam rem deos inultam non passuros esse, jam ante profectionem ei significatum est portento illo aquilarum leporem gravidam devorantium, quo res portendi non modo secundas, sed etiam adversas Calchas vates et vidit et prænuntiavit[8]). Quid? quod missis in Aulide contrariis ventis eum dii de bello dehortantur? Cupiditate tamen incensus gloriæ, quam summum se ducem pariturum speravit, filiam suam immolare, quam ab incepto desistere maluit. Quod facinus, quo pietatem quam gravissime violavit, nullam habet excusationem ac satis idoneam Clytæmnestræ præbuit caussam, cur odium in eum conciperet acerbissimum. At Dianam eo placatam voluit. Voluit quidem, sed ut ventos illa mitteret secundos, quibus nisi uteretur, in Trojam proficisci non posset. Non igitur sine magna culpa bellum suscepit Agamemno. Accessit, quod in Aegisthum quoque, quem admodum puerum cum Thyeste, patre ejus, e patria exterminasset[9]), injuste fecerat. Quo facto culpæ Atrei patris, qui vehementissime in

---

[1]) Ibid. v. 381 sqq. Eum. v. 539. [2]) Eum. v. 175, 274, 340. Cfr. F. Winiewski: De animarum post mortem statu apud Aeschylum p. 10 sqq. et C. F. Nægelsbachii Nachhomerische Theologie p. 35 sqq. [3]) Agam. v. 1338. Eum. 934. [4]) Agam. v. 1563. Ch. v. 94, 309--14. [5]) Eum. 269 sqq. 545. cfr. Nitzschii Sagenpoesie d. Gr. p. 443. [6]) Ag. 69, 388, 396. Eum. 261 sqq. [7]) Agam. 430 sqq. [8]) Agam. 115—20, 126 sqq. [9]) Agam. v. 1606,

Thyestem peccaverat, participem se fecit et in potestatem venit ultoris illius genii[1]), qui ab illo inde tempore, quum sanguis primus consanguineorum a Pelopidis effunderetur, in gente eorum grassabatur et alterum, in altero ut acceptas injurias vindicaret, impellebat. Thyestes, ubi vidit filios suos ab Atreo mactatos esse et sibi edendos appositos, diras imprecatur toti Atridarum generi[2]). Justa autem exsecratio quoniam nulla a diis neglecta est[3]), fieri non potuit, quin gravissimas sceleris poenas Atridæ essent daturi. Nam tametsi Atreus a vita ipse impunitus discessit, viguit tamen in gente culpa, quasi hereditate posteris tradita. Majorum enim peccata ex opinionibus Græcorum erant posteris præstanda atque luenda[4]). Quam tamen rem Aeschylus in Orestia ita explicavit, ut doceret, quemadmodum libido atque licentia, si in singulis hominibus dominationem adepta esset, maleficia excitare soleret, sic corruptelam ac pravitatem animi, si in gentem quandam venisset, latius semper serpere et universos gentiles corrumpere, ut invitatio quædam peccandi cum culpa principali in gente oriretur[5]). Cui invitationi quicumque sua voluntate cessisset patriisque vestigiis ingressus esset, ei esse luenda ostendit non modo sua, verum etiam majorum peccata, quæ sua quodammodo fecisset. Horum autem peccatorum poenas quum plerumque dii non expeterent ipsi, sed hominum uterentur ministerio, genium illum maleficum, qui diris excitatus in gente inerat, id efficere passi sunt, ut, si quis injuriam accepisset, ad eum, qui intulisset, ex jure talionis ulciscendum illum stimularet. Quo fiebat, ut, quum essent consanguinei poenas qui persolveret et qui repeteret, fraudem is conciperet exsecrabilem, qui ulcisceretur, quamvis legi justitiæ satisfaceret. Ita continuatio quædam exstitit seriesque nefariorum facinorum, cui nihil nisi interitus totius gentis aut deorum intercedens auctoritas finem afferre posset. Quod accidisse domui Agamemnoniæ oculis spectantium hac in trilogia subjicere voluit Aeschylus[6]). Thyestem primum Aëropæ, uxori Atrei fratris, stuprum obtulisse strictim attingit[7]). Hujus autem vitii quam detestabilem Atreus expeteret ultionem, multis locis et graviter describit, eamque quasi fontem esse dicit, unde omnia manarent mala[8]). Justo crudelior illa fuit, neque peccato respondit; quod lege talionis erat sanctum, quæ jussit par pari referri.

[1]) Cfr. R. Engeri Aeschylos Agamemnon p. xxvi et G. Dronke: Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos und Sophokles p. 51. [2]) Agam. v. 1602. cfr. C. H. Keckii Aeschylos Agamemnon p. 5. [3]) Cfr. C. F. Hermanni Lehrbuch der griech. Antiquitäten V. II. §. 21. [4]) Sol. 4. 15; Theogn. 205; Aesch. Suppl. 433; Eum. 934; Eurip. Hippol. 826. Lycurg. in Leocr. 79. [5]) Agam. 222, 757; Eum. 534. [6]) Cfr. Humboldtii Aeschylos Agamemnon. [7]) Agam. 1193. [8]) Agam. 155, 1091, 1188—1192, 1217—22, 1592 sqq.; Ch.

Quapropter exsecratio illa Thyestis, qua interitum Atridis precabatur, diis probata est ac plurimum valuit[1]). Hinc numina illa ultricia, *ἄτη*, *ἀλάστωρ*, *ἐρινύς*, quæ gentis dicuntur aviditatem sanguinis alere et ad alias post alias cædes gentiles pellicere[2]). Quæ tamen non ita ad scelera putantur impellere homines, ut libertatem iis adimant. Antequam scelestum aliquid committit, rem secum quisque deliberat et animo fluctuatur. Quod quid sibi vellet, si arbitrio careret, equidem ignoro. Agamemnonem, priusquam filiam sacrificaret, deliberationem habuisse canit chorus[3]); Clytæmnestra profitetur post cædem mariti, se rem gestam multo ante statutam ac deliberatam habuisse[4]); Aegisthus prædicat, se vel exsulem Agamemnoni insidias struxisse[5]); neque vero Orestes, oraculo Apollinis missus, non dubitat atque animo pendet. Quid? quod, re confecta, conscientiæ stimulis vexatur, nonne indicat, liberum in agendo se ipsum judicasse Orestem? Ad arbitrium igitur unicuique licuit agere per vim illam sævam neque vero fatalis illi necessitatis notio est subjicienda. Nihil ad quemquam valuit ea nisi ad eum, qui se sua sponte sceleribus dedidit. Hunc concitando illa adjuvit, non coëgit ad agendum. Quamobrem chorus Agamemnonis, quum Clytæmnestra in genium illum pestiferum, qui post dapes Thyesteas in domo sæviret, omnem cædis culpam avertere vellet, adjutorem eum quidem fuisse ait, ipsam tamen culpa vacare negat[6]). Fatum Aeschylus nullum in iis, quos in scenam inducit, hominibus facit dominans, nisi fatum nominare velis summam rerum rationem a Jove profectam ac servatam[7]). Quicumque fines sibi hoc rerum ordine constitutos transiit, ei proposita est certa poena. Agamemno, quum, pietatis in patriam et amoris paterni immemor, bellum adversus Trojam susciperet, facinus commisit, quo leges divinæ graviter violarentur. Magna idem tenebatur culpa eorum, quæ et ipse et pater ejus in Thyestem et Aegistum sceleste fecerant. Impunitum igitur Juppiter eum dimittere nullo modo potuit. Ipse quidem poenam non expetivit, sed fecit tamen, ut expeteretur. Clytæmnestra et Aegisthus, instigante genio ultore, ad necem Agamemnoni inferendam societatem inierunt. Quorum hic voluit fratres, ille filiam ex lege talionis ulcisci. Hoc tamen facere non potuerunt, ut sanctissima jura et ipsi non perverterent. Nam Clytæmnestra, quum cædem Agamemnonis faceret, quamquam pietatem in filiam coluit, neglexit tamen ac violavit quum amorem patriæ debitum tum divinum matrimonii jus[8]). Neque vero satis habuit eum vita privasse,

---

1068. cfr. R. H. Klausenii Aeschyli Agam. ed. II. p. 230. [1]) Agam 1565; Ch. 692. [2]) Agam. 1188, 1433, 1477, 1509. Ch. 404. [3]) Agam. 205 sqq. [4]) Agam. 1377. [5]) Agam. 1608, [6]) Agam. 1515 sqq. [7]) Cfr. Dronke: l. l. p. 13. [8]) Eum, 213—18, 626. Cfr. Schoemanni Aeschylos Eumeniden p. 23.

sed mortuum obtruncavit et justa sepultura orbatum projecit. Atque Aegisthus, quum Agamemnoni cædem pararet et Clytæmnestram subornaret ad eam faciendam, mortem fratrum ille quidem recte ultus est, sed pietatem in propinquos et patriæ amorem protrevit atque conculcavit. Accedit, quod aliis etiam rebus uterque ad rem peragendam commovetur, quamquam quidem in iis Aeschylus minus, quam Sophocles et Euripides, ponit. Clytæmnestra enim et pellicatus dolore cruciatur et adulterii illecebris est irretita[1]); Aegisthus autem et imperium Argivorum affectat neque cupidine Clytæmnestræ non ardet. Unde apparet utrumque magna in culpa esse. Hoc vero nihil curant. Exsecrationem populi contemnunt[2]), patriam patriosque deos fuga non vitant, ut decuit parricidas[3]), sed regnum et fortunas domino orbatas occupant[4]). Atque hæc omnia tanta insolentia et protervitate fatentur atque etiam profitentur et præ se ferunt, ut in omnem pudorem ac religionis reverentiam insultare videantur justitiamque deorum ultricem provocare. Eam nemo auditorum, summa accensus indignatione, non fidenter exspectare non potuit. Neque vero chorus persuasum non habuit, eum, qui poenas ab illis meritas repeteret, brevi adfuturum[5]).

Vides, hujus tragoediæ exitus quam ad proxime sequentem, in qua vindicta Orestis agitur, sit aptus et accommodatus. In quo actas res considerantibus necesse quodammodo nobis videtur, Orestem ad ulsiscendum procedere, tantumque abest, ut miremur, quod tam severe atque, ut nostri sunt mores, inhumane in matrem consuluerit, ut contra eam modestiam et animi moderationem, qua rem et aggreditur et conficit, non admirari non possimus. Quam longe aliter agit hic atque Clytæmnestra! Audacter et importune neque ullius memor religionis rem et suscipit illa et peragit; Orestes autem, antequam consilium ulciscendi capit, Apollinem consulit; quo facto et Jovem precatur, ut auxilium sibi ferret viamque rectam monstraret[6]) et manes patris implorat, ut justitiam sibi sociam mitterent[7]). Apollo ei pessima quæque minatur, si patrem inultum jacere patitur; soror eum et chorus ad poenas cædis paternæ repetendas cohortantur. Nihilo autem secius animo fluctuatur et Pyladem, re jam in extremum discrimen adducta, quid esset faciendum, consulit. Quo in misero statu Orestes versetur, luculentissime ex eo loco[8]) apparet, ubi ex matre, quum eum jubet canes suas cavere iratas, quærit, quonam modo, si eas caveret, paternas effugeret. Perspicit, se piaculum commissurum et a furiis agitatum iri, si matrem

---

[1]) Agam. 1224, 1438. Ch. 917—18. [2]) Agam. 1409 sqq. 1616—24. [3]) Cfr. C. O. Mülleri Aeschylos Eumeniden p. 130. [4]) Agam. 1638, 1673. Ch. 136, 302. [5]) Ag. 1646—8, 1667. [6]) Ch. 19, 409. [7]) Ch. 497. [8]) Ch. vv. 924—5.

interficeret, ut effusum patris sanguinem expiaret matrimoniique atque regiæ majestatis jus sanciret; videt idem, nihilo minores ærumnas et cruciatus sibi instare, si pietatem patris negligeret neque officii teneret præceptum, quod more et religione esset traditum de parricidis ulciscendis[1]). Ac vindicta patris quanto in discrimine ab Oreste poneretur oportuerit, nemo non facile intelligit, qui novit, ex opinionibus Græcorum in poenis, quæ proximis essent repetendæ, positum fuisse, qualis conditio mortuorum esset: ut, si miseram occubuissent atque indignam mortem, dignitate sua apud inferos atque existimatione tam diu carerent, donec ulti essent[2]). Neque tamen, re confecta, dubius non est Orestes, an factum suum sit improbandum. Ex quibus omnibus patet eum ab omni mala cupiditate remotum et sollicito atque invito quodammodo animo neque alia re ductum nisi pietate patris patriæque matricidium perpetrasse[3]). Furiæ vero, quæ omne parricidium tamquam vis quædam naturæ insectabantur, nihil, quo impulsu factum esset, respicientes, statim eum adoriuntur. Agamemnonem propter immolatam filiam non erant ipsæ quidem persecutæ neque vero Clytæmnestram ob interfectum conjugem, sed subornaverant tamen eos, quorum erat ulcisci[4]). Vindicem autem necis suæ quum Clytæmnestra nullum reliquisset, quem concitare possent, ipsæ se efferunt et juris, ab Oreste læsi, patrocinium suscipiunt: cujus officii partes divinitus ad eas erant delatæ[5]). Quarum dearum insectationibus agitatus, fieri non potuit, quin Orestes homo periturus fuerit, nisi vis singularis atque humanarum virium excedens modum salutem ei afferret.

Quod quoniam vidit, Aeschylus in Eumenidum fabula causam Orestis tuentem inducit Apollinem, cujus jussu matricidium erat factum. Dii igitur procedunt, qui, ut diversi sunt generis, ita jura defendunt diversa. Furiæ enim, quæ in antiquissimis diis sunt numerandæ, priscas leges integras talionisque severum jus salvum esse volunt[6]), quod jus iis temporibus viget, ubi civitas bene constituta familiare nondum jus tuetur. Apollo autem, mandata semper conficiens Jovis[7]), penes quem, antiquioribus illis diis a principatu dejectis, omnium summa rerum erat[8]), matrimonii sanctitatem, qua civilis conciliatio et societas continetur, et regiam majestatem studet salvam atque incolumem servare[9]). Hanc controversiam, quæ major erat, quam ut ab hominibus

---

[1]) Ch. 271—96, 1032. [2]) Ch. 345—62, 471—5. Cfr. Winiewskii l. l. p. 20. [3]) Cfr. Platneri l. l. p. 151. [4]) Agam. 155, 461, 1117, 1190, 1433, 1580. Ch. 404, 577, 651. [5]) Eum. 392, [6]) Eum. 172, 778. [7]) Eum. 616—18. [8]) Ag. 160—71. Eum. 641. [9]) Eum. 214—23. 625. Cfr. A. Jungii dissert. de Fato Aeschyleo p. 12.

dirimi posset[1]), arbitrio Minervæ, carissimæ[2]) ac præpotenti[3]) Jovis filiæ[4]), sapientissimæ deæ[5]), utraque pars litigantium permittunt. Tantum enim ambiguitatis habuit commissum facinus, tam fuit ex jure atque injuria mixtum, ut difficillimum esset ad decernendum, utrum sons judicaretur Orestes, an insons. Ratio si habebatur earum rerum, quæ ad rem peragendam eum impulissent, negari non poterat, quin culpa vacaret; sin autem factum solum respiciebatur, dignissimus videbatur, qui capitis poenam subiret.

Hanc judicatam esse causæ naturam, quamquam neque a litigantibus nec a Minerva diserte dicitur, quum ex omni tragoediæ ratione tum vero e forensi illa disceptatione intelligitur. Apollo, qui consilium Orestis spectat, dicit eum recte egisse; furiæ, quæ nihil nisi rem factam curant, asseveranter negant. Atque Areopagitarum alteri eum absolvunt, alteri condemnant[6]). Sententiis igitur eorum ita variatis neque vincit Orestes nec vincitur[7]). Minerva autem, æquitatis ac sapientiæ memor, antequam suffragia enumerata sunt, calculum sese prædicat addituram secundum libertatem Orestis paribusque in utramque partem suffragiis eum absolutum iri[8]). Quo judicio effectum est, non modo ut neutrius partis jus violaretur, verum etiam ut Orestes, si non omni culpa liberaretur, at supplicio levaretur in posterum, quippe quem, facinore ex voluntate atque animi impulsu, non modo ex re gesta æstimato, justius, quam injustius egisse appareret. Neque vero furiæ, quamquam primo graviter succensuerunt, quod auctoritatem suam imminutam putarent, non conquieverunt et cum recentiore deorum genere in gratiam redierunt, quum hoc iis promisisset Minerva et confirmasset, populum Atheniensium eas, si iracundiam omisissent, culturum semper et divino honore affecturum neque cujusquam mortalis domum bene se habituram, eas contemnentis[9]). Ita enim jus suum viderunt agnitum et cum jure, quod in tutela erat superorum, exæquatum. Quo facto omnium rerum prosperitatem populo Atheniensium precantur et optima quæque iis, si in honore se haberent, obventura pollicentur neque umquam fore, ut vitæ eos poeniteret[10]).

Hoc modo a furiis Orestes divina sapientia atque beneficio liberatur omnibusque levatur malis domus Agamemnonia, quibus tam diu af-

---

[1]) Eum. 470. [2]) Eum. 666, 999. [3]) Eum. 827, Hom. Od. 16. 265. Hor. Od. 1. 12. 20. [4]) Eum. 664. [5]) Eum. 431, 850. Hesiod. Th. 896. Cfr. F. G. Welckeri Griechische Götterlehre I. p, 315, II. p. 309. [6]) Eum. 753. Cfr. Schoemanni l. l. pp. 36, 77 sqq. Bodei Geschichte der Dramatischen Diktkunst der Hellenen V. I. p. 331. J. A. Hartungi Aeschylos Erinyen p. 171. [7]) Cfr. C. F. Nægelsbachii diss. de religionibus Orest. Aesch. continentibus p. 24. [8]) Eum. 735—41. [9]) Eum. 807, 833, 855 sqq. 895. [10]) Eum. 1020.

flicta jacuerat. Quæ mala quemadmodum universa in Orestia oculis subjiciuntur tanta cum arte, ut fieri ea videre nobis videamur, et tanta cum gravitate, ut animi spectantium non maximo metu affici neque summa misericordia commoveri non potuerint, ita absolutio Orestis, qua continetur totius trilogiæ solutio, in Eumenidum fabula tam graviter et tam ingeniose proponitur, ut ingenium poetæ summopere sit admirandum. Hanc malorum liberationem jam Clytæmnestra cum genio gentis ultore paciscendo sibi conciliare voluit, sed non potuit[1]). Hanc chorus Choëphororum, interfectoribus Agamemnonis trucidatis, domui partam esse primo arbitratur, deinde vero, an numquam ei pariatur, dubius est, quum Orestem, a furiis vexatum, videt in fugam se conjicere. Quæ verba Choëphororum extrema ad proximam patet spectare fabulam, in qua ejusdem, in quo versatur utraque superior, argumenti exitus explicatur; et id quidem ita, ut sapiens rerum humanarum administratio Jovis magnifice celebretur. Cujus auctoritati obtemperans Minerva rem, quæ ante vindictæ fuisset privatorum, ad judicium publicum rejicit, ubi, omnibus in utramque partem rationibus perpensis, jurati judices, odio atque cupiditate vacui, ex animi sententia suffragia ferrent et non tam summum jus, quod, par pari ut referretur, postulavit, quam æquitatem respicerent, quæ de jure multum remittit[3]). Qua re sine controversia declaratur interior juris intelligentia, cujus quamvis nulla officia sint negligenda, neglectorum tamen poenæ civitati vel hominibus publice delectis et constituendæ sunt et repetendæ, non privatis. His enim si injuriæ ulciscendæ impositæ sunt, fieri non potest, quin fines justitiæ excedant et officia sua, quum explere velint, gravissime violent. Quod videmus factum esse in gente Atridarum. Horum igitur sceleribus domesticis ut finis imponeretur utque domus Agamemnonia ab interitu servaretur, causam Orestis Minerva summo cum Atheniensium civitatis et vero Areopagi honore in forensem vocat disceptationem, qua quamquam discerni non potest, Orestes utrum recte fecerit, an secus, sapientissimæ tamen deæ beneficio absolvitur[4]) excusatusque ac probatus et diis et hominibus discedit, et vetusta illa culpa, qua domus lacerata fuit, deletur. Ita fit, ut pax tandem et reconciliatio animis spectantium afferatur, misericordia ac metu commotis, et purgatio ex perturbationum, quam tragoedia effici Aristoteles ait[5]), iis impertiatur.

---

[1]) Agam. 1568—76. [2]) Ch. 961—72, 1075. [3]) Eum. 759, 797, 826, 850, 973, 1045. Cfr. C. O. Mülleri Geschichte der griech. Literatur V. II. p. 105, Breslau 1841. [4]) Cic. Mil. c. 3. §. 8. [5]) Art. poet. c. 6. §. 2. ed. G. Hermanni. Cfr. Ad. Stahr: Aristoteles Poetik p. 41 sqq.

His rebus expositis satis demonstrasse mihi videor verum esse, quod ante diximus, Choëphoros posse medii actus instar haberi magnæ tragoediæ, cujus in tribus partibus, inter se aptis et artissimo conjunctionis vinculo colligatis tres, quæ eodem spectant, actiones, alia ex alia ortæ, aguntur compositionemque Choëphororum et ad res et ad verba in universæ trilogiæ ratione positam esse. Quæ quum ita sint, hæc disputatio, ex qua, illa ratio qualis sit, apparere puto, quantum ad rem propositam pertineat, quis est, quin intelligat? Sed hæc de universa Orestia. Ad Choëphoros transeamus.

Hac in tragoedia[1]) quæ aguntur res, earum scena in urbe constituta est Argis, ubi Agamemnonem habitantem facit Aeschylus[2]), ante domum regiam, quæ cum duabus suis alis conspicitur, quarum in altera domestici habitant, altera hospites accipiuntur. In proscenii antica parte positus est tumulus Agamemnonis[3]). Ipso igitur scenæ ornatu argumentum fabulæ indicatur neque fieri potest, quin ita spectantium animi statim iis afficiantur animi motibus, quos tragoediæ est commovere.

Orestes[4]), qui, Pylade comitatus, spatio septem annorum inter-

---

[1]) Constat ex Argumento Agam. et e Scholiasta Aristophanis ad Ran. 1155. Orestiam Athenis, Philocle archonte, Ol. 80. 2. doctam esse, qua in commissione primas tulit Aeschylus. Ultimum erat ejus poëma. Tertio anno post Gelæ, in urbe Siciliæ, annos 69 natus supremum diem obiit. Cfr. Aug. Boeckhium (Græcæ Tragoediæ Principum p. 35 sqq.). R. Dahmsii Diss. de Aeschyli vita p. 50 sqq.

[2]) Sedem ubi Agamemno habuisset, inter veteres scriptores non satis constabat. Homerus eam Mycenis constituit Od. 305, Il. 2. 569; eumque Thucydides secutus est 1. 9. et Sophocles. Pausanias narrat L. 2. 16. intra moenia Mycenarum et Atrei et Agamemnonis eorumque, qui cum eo ab Aegistho trucidati sunt, sepulcra sita fuisse, extra ea autem Clytæmnestram et Aegisthum sepultos esse. Cfr. F. G. Welckeri Kleine Schriften. V. III. p. 357. Aeschylus, qui, prudentia ductus civili, Argivorum, quibuscum Athenienses illo tempore foedus fecerant, nomen celebratum voluit, Atridas finxit Argis habitantes. Eum videtur Horatius secutus esse Sat. 2. 3. 132. Euripides tum Argos tum Mycenas præcipuam Argolidis urbem commemorat itemque Strabo. Ovidius Metam. 12. 34. et Vellejus Pat. I. 1. Mycenas patriam Agamemnonis perhibent. Stesichorus autem et Pindarus Nem. 11. 34 Amycleorum eum regem esse volunt.

[3]) Cfr. J. Sommerbrodtii Diss. de Aeschyli re scenica I. p. 33. G. Hermanni Diss. de re scenica in Aeschyli Orestia.

[4]) Aeschylus, Agam. 880, Orestem Strophio Phocensi educandum a Clytæmnestra traditum fingit. Qua in re utrum famam quandam sit secutus, an inventum id ipsius sit, incertum est. Apud Homerum neque Strophii neque Pyladis ulla fit mentio. Agamemno dicit (Il. 9. 143.) domi sibi educari unum filium et tres filias et ab Ulixe apud inferos petit (Od. 11. 457), ut, filius ubi commoraretur, sibi narraret. Ex quo loco non minus, quam ex Od. 1. 41 et 3. 306 apparet ab Homero Orestem domo ejectum fingi. Quod vero Athenis, non e Phocide domum revertentem eum fa-

jecto post mortem patris[1]) in patriam redire fingitur, prologum agit, in quo, preces diis ultoribus adhibens, primo tecte, deinde vero diserte audientibus aperit, quo consilio Argos et ad tumulum patris venisset. Aperit idem haud obscure, quum in tumulo cincinnos ponit et, exsequiis quod non interfuisset patris, conqueritur, esse amorem quum in terram patriam tum in miserum suum patrem, quo impulsus ad ulciscendum domum rediisset. Neque vero minimum eo indicat, qua in re totum animum atque omnem curam posuisset, quod, ubi primum procedentium agmen mulierum aspexit, inferias ab iis mortuo afferri conjicit et sororem suam inter eas incedentem videre sibi videtur, dolore perfusam. Ita fit, ut hoc prologo, cujus in initio, tametsi aliquot versus aliunde deprompti additi sunt, nonnulla tamen sine dubio desunt, Aeschylus, quod proprium prologi munus esse Aristoteles dicit, id efficiat, ut spectantibus breviter, sed satis plane ea exponat, quæ ad intelligentiam futuræ actionis maxime sunt necessaria[2]). Primo statim

---

cit, id ostendere videtur, educationem Orestis apud Strophium ignorasse Homerum. Pindarus Orestem ab Arsinoë, Sophocles ab Electra, Euripides a pædagogo patris e manibus Clytæmnestræ ad Strophium servatum fingit. Amitinos fuisse Pyladem et Orestem Pausanias auctor est. Nam Strophium ait (L. 2. 29) Anaxibiam, sororem Agamemnonis, in matrimonio habuisse. Quot annos natus Orestes domum redierit, si Homerum audimus, conjectura assequi possumus. Decem enim annos bellum Troicum tenuit. Septem Aegisthus regnavit et octavo Orestes rediit. Quamobrem, si vocem *τηλύγετος* (Il. 9. 143) "recens a partu" interpretamur, non major XX annos natus redux fuit. Apud Vellejum Pat. 1. 1. scriptum est: vixit annis XC, regnavit LXX.

[1]) Hom. Od. 3. 306. Eurip. Orest. 59. Hel. 776. Vell. Pat. 1. 1.

[2]) Arist. Rhet. 3. 14. *Τὸ μὲν οὖν προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον· πάντα γάρ ἀρχαὶ ταῦτ᾽ εἰσὶ καὶ ὁδοποίησις τῷ ἐπιόντι. - - Ἐν τοῖς λόγοις καὶ ἔπεσι δεῖγμά ἐστι τοῦ λόγου, ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ἦν ὁ λόγος καὶ μὴ κρέμηται ἡ διάνοια: - - Καὶ οἱ τραγικοὶ δηλοῦσι περὶ τὸ δρᾶμα ἐν τῷ προλόγῳ.* Cfr. Cic. de Or. 2. 79. — In prologo igitur debet poeta tragicus spectantes docere de argumento fabulæ et viam munire ad ea, quæ agentur, et id quidem ita, ut quas in scenam inducit personas, non tam narrando, quam agendo eas res exponant, unde quasi ex fonte, quæ sequuntur, omnia manant. Connexus ita sit prologus consequenti tragoediæ actioni, ut non, tamquam rerum scriptoris prooemium, adfictum aliquid, sed cohærens cum omni corpore membrum esse videatur. Cfr. J. J. Eschenburgii Theorie und Litteratur d. schön. Redekünste ed. Pinder. Berl. 1836. F. W, Ullrichi Diss. üb. die relig. u. sittl. Bedeutung der Antigone des Sophocles p. 49. Vim prologi, quibusque virtutibus ornatus esse debeat, etiam Aristopanes docet Ran. v. 123 sqq. Expositionem rerum (*τὴν φράσιν τῶν πραγμάτων*) eum esse dicit, in qua Aeschylo Euripides Aristophaneus obscuritatem objicit et inanem quandam profluentiam loquendi; quod crimen tamen Aeschylus ipse repellit. Cfr. Edv. Mülleri Geschichte d. Theorie d. Kunst V. I. p. 168. Hartungus (Eurip. Restit. V. I. p. 323) ait prologos Aeschyli recte ab Euripide

spectaculo eos in medias res rapit non secus ac notas, præsertim qui brevi ante Agamemnonis fabulam spectassent. Nomen suum Orestes diserte ille quidem non profitetur, ut solent Euripideæ prologum agentes personæ, sed quis sit, unde venerit et quo, nemini non patet quum ex scenæ histrionumque apparatu tum ex precatione, quæ tumulo adstans utitur et e verbis, quæ mulieres conspicatus facit. Quæ omnia quam apta sint ad eorum mentes, apud quos aguntur, non modo docendas, verum etiam conciliandas ac permovendas, perfacile est ad intelligendum. Verisimile autem est in iis, qui intercidernut, versibus mentionem factam esse de oraculo Apollinis Pythii, cujus auctoritate Orestes munus suum ulciscendi susciperet. Accedit, quod, dum extrema verba effatur Orestes, mulierum chorus pullatarum et summo luctu insignium lento ac sollemni incessu cum magno silentio procedere conspicitur; qui aspectus fieri non potuit, quin animos omnium, qui aderant, in magnam severitatem deduceret.

Verum Orestem animo providisse, quum primo jam mulierum aspectu de piaculo inferis offerendo conjiceret, e carmine, quod, ubi primum ad locum suum pervenerunt, instituunt, perspicuum fit. Dicunt enim ex ædibus se venisse, ut plangore suo genarumque laniatu ac lugubri lamentatione eas inferias prosequerentur, quas domina, horribili exterrita somnio, auctoribus somniorum interpretibus, inferis ad placamen afferri jussisset[1]). Hoc tamen sacrificium, ab impia muliere mis-

---

Aristoph. propter obscuritatem damnari. At id cur recte fiat, nullis rationibus confirmat. Leviter neque satis accurate Aristoteles (Art. poet. c. 12) prologum ita definit, ut eum dicat esse totam eam tragoediæ partem, quæ est ante chori parodum. Sunt enim tragoediæ, quæ ab ipsa parodo incipiunt, ut Persæ, Supplices, Rhesus. Quid ergo? Hisne tragoediis prologi desunt. Minime; sed cnm parodis ita confusi sunt, ut utrumque chorus eodem tempore agat. Cfr. Argum. Persarum. Inventorem prologi fuisse Thespis Aristoteles ap. Themist. auctor est. Cfr. F. G. Welckeri Nachtrag zu d. Schrift üb. Aeschyl. Trilogie p. 268.

[1]) Duabus de causis solebant Græci inferias mortuis offerre: aut ut mortuos tamquam deos averruncos ad malum quoddam impendens averruncandum permoverent, aut, ut officio mortuis debito satisfacerent. Utrum hoc an illo consilio chorus sepulcro Agamemnonis accederet, Orestes erat dubius. Prius autem egit Clytæmnestra. Posteriorem rem, religione et institutis patriis sanctam, semper in Agamemnone neglexerat. Ipsa vocabula, quibus tum universæ sepulcrorum cærimoniæ, tum parentalia, certis quibusdam temporibus facienda, appellabantur: *τὰ δίκαια, νόμιμα, νομιζόμενα, προσήκοντα,* ut latine justa, satis aperte ostendunt et mortuos suo jure ea vindicare et superstitum esse ea facere. Solebant autem inferiæ partim in ipsa sepultura mortuo afferri, ut apud Homerum (Il. 23. 219) Achilles facit Patrocli, partim tertio post funus die et nono et trigesimo et natali quoque die mortui, *τὰ τρίτα, ἔνατα, τριακάδες, γενέσια.* Exemplorum plena sunt scripta veterum. Vide Eurip. Iphig. Taur. 232. Orest. 123. Aristoph. Lysist. 611.

sum ob aliam nullam causam, nisi ut mala averterentur, tam ingratum mortuo esse judicant, ut mandati sui mentionem facere vereantur, ne manes ejus lædant. Persuasissimum iis est, neque iis, qui thalamos violassent neque vero iis, qui se contaminavissent parricidio, certam poenam non esse propositam, etiamsi continuo non semper appareret. Nam alios invadit justitia divina statim post commissum facinus; alios serius, acta jam magna vitæ parte, manet suppliciique gravitate tum compensatur mora; alii mortui demum poenas apud inferos persolvunt infinitas. Quibus universe dictis patet chorum spectare ad Clytæmnestram et Aegisthum, a quibus, scelerata conjunctis societate, Agamemnonem, regem belli gloria omnium clarissimum, impie trucidatum esse novit et domum Agamemnoniam prorsus perversam. Hoc nefarium facinus confidit deos inultum esse non passuros. Quamobrem non sine causa magno metu cruciari ei videntur parricidæ. Videmus chorum Choëphororum eadem de justitia divina sentire, quæ chorus Agamemnonis sæpenumero professus est[1]); quarum sententiarum summa est, par pari referendum esse[2]); ut grave scelus qui admiserit, non nisi capite suo id luere possit. Quo in Clytæmnestram et Aegisthum animo chorus Agamemnonis se esse aperuit, Agamemnone interfecto, eundem hic chorus in eos et ipsum se gerere profitetur et omnes cives habere significat. Neque vero potuerat Clytæmnestra, quod in exitu superioris fabulæ se velle dicebat, pactione cum genio illo ultore facta impetrare, ut a gente discederet[3]). Viget etiamnunc ibi et dominatur[4]). Hinc tantus ille animi angor atque terror, in quem, viso somnii oblato, Clytæmnestra conjicitur ab eoque ut se liberaret inferias manibus occisi mittit. Hoc munus, quod cum ceteris honoribus, quos mortuo adhi-

---

Herod. 4. 26. Isæi de Ciron. hered. 39, de Menecl. hered. 37, de Astyphil. hered. 7. Aesch. in Ctesiph. 77, 225; Plutarch. Demosth. 22. Cfr. Ch. Petersenii Diss. üb. die Geburtstagsfeier bei d. Griechen p. 301. Quibus ex rebus inferiæ constiterint, apparet ex Aesch. Pers. 611—18: *παιδὸς πατρὶ πρευμενεῖς χοὰς φέρουσ', ἅπερ νεκροῖσι μειλικτήρια, βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔποτον γάλα, τῆς τ' ἀνθεμουργοῦ στάγμα, παμφαὲς μέλι, λιβάσιν ὑγρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα, ἀκήρατόν τε μητρὸς ἀργίας ἄπο ποτὸν παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος τόδε· τῆς τ' αἰὲν ἐν φύλοισι θαλλούσης ἴσον ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς εὐώδης πάρα, ἄνθη τε πλεκτὰ, παμφόρου γαίας τέκνα.* Serta sæpe addita esse et capillorum cincinnos, quibus monumenta sepulcrorum honorarentur quum aliunde videre licet tum e Soph. Electr. 52, 895—6, 901, ex Eurip. Electr. 513—14, Orest. 113. Cfr. Guhl. et Koner. (Das Leben d. Griech. u. Römer p. 323).

[1]) Agam. 59, 69, 179, 381, 461, 775—81, 1019, 1333, 1429, 1562—4.

[2]) *Μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς παθεῖν τὸν ἔρξαντα.* Agam. 1536.

[3]) Agam. 1570.

[4]) Ch. 68. Cfr. A. Jonghii Aeschyli Choëph. p. 82. Nægelsb. de rell. Orest. p. 12.

bere sanctissimum erat superstitum necessariorum officium, more ac religione præceptum, neque cuiquam nisi sceleratissimo homini denegabantur, usque ad id tempus Clytæmnestra Agamemnoni præstare neglexerat[1]), ne tum quidem, ut oportebat, ipsa affert neque amore ducta, sed filiam jubet, ancillis comitantibus, hoc facere. Quæ quum ita sint, rectissime putat chorus peringratum esse mortuo illud sacrificium et invitus id factum ea mente vult, qua imperaverat Clytæmnestra. Summo enim amore mortuum regem complectitur ac sortem quum ipsius tum domus ejus miseram et antea semper tacita pietate et tunc maxime deplorat. Gravissimum autem odium in parricidas habet, quamvis, qua est conditione, e domo patria in servitutem abreptus, id comprimere coactus sit dominosque, sive juste faciunt sive secus, laudare.

Ex hoc carmine audientibus facile apparuit, quibus ex personis chorus constaret et quibus de causis processisset quæque ratio inter eum et agentes intercederet. Quod quoniam parodi proprium est tragoediæ Græcæ[2]), vix quisquam negare potuerit, quin hoc carmen, quæ parodus est Choëphororum, quam optime sit compositum.

---

[1]) Agam. 1554. Ch. 430 sqq.

[2]) Vocabulum πάροδος quemadmodum universe positum primum viam sive transitum præter aliquid proprie significat (Thucyd. 3. 21. Xenoph. Anab. 1. 7, 16), deinde, ut verba juncta, quæ in ὁδός cadunt, sæpissime solent, vim agendi accipit (Th. 1. 126, Xenoph. Anab. 4. 2. 24), ut notionem habeat prætereundi, sic singillatim, in re scenica quum adhibetur, designat non modo duos illos aditus, ab utraque orchestræ parte sitos (τὰς κάτω παρόδους), per quos chorus in thymelen prodibat et duo illa ostia, actoribus instituta (τὰς ἄνω παρόδους), per quæ ab utroque scenæ latere proscenium intrari poterat, verum etiam ipsum quum actorum in scenam tum choreutarum in orchestram ingressum. Cfr. J. G. Rothmanni Das Theatergebäude zu Athen p. 7. 12. L. Lohdei Die Skene der Alten p. 11. Th. Kockii Diss. üb. d. Parodos d. Griech. Tragoedie p. 13. Ac sicut chori dispositio et motus multis partibus cum exercitu conveniebant, ut etiam explicatio quædam agminis, ad iter contrarium facta, ἐξελιγμὸς χόριος nominaretur (Rüstow. et Köchlyi Geschichte des griech. Kriegswesens p. 115), item parodus ejus cum pompa militari, ubi instructa acie milites, duce inspiciente, transibant, componi potest. Quumque in orchestram chorus ingrediens nonnumquam cantaret, factum est, ut, quod primum canebat carmen sive in ipso ingressu sive tum demum, quum in thymele constitisset, parodus vocitaretur.

Hanc parodum Aristoteles (Art. poet. c. 12) ita definit, ut eam dicat esse primam totius chori dictionem. Quæ definitio, quamvis parum subtilis sit neque ipsam rei naturam attingat, tamen non modo in Choëphororum parodum, sed in omnes omnium, quæ exstant, tragoediarum convenit, si quidem id carmen intelligimus, quod primum in orchestra pronuntiatum est a choreutis aut simul aut deinceps canentibus. Quod propterea est addendum, quia tragoediæ exstant, in quibus choreutæ primo fuerunt in proscenio, cum agentibus sermonem habentes, ut in Eumenidibus, deinde in orchestram se contulerunt, ubi, ut ante diximus, aut ingredientes aut pri-

Quod proxime consequitur diverbium accommodatissimum est ad animum Electræ aperiendum. Hæc quum de inferiis, quas manibus patris ut afferret, missa erat, quid chorus sentiret, audivisset, dubia fuit, quibus precibus usa sacrificium faciens inferos invocaret, utrum pro matris salute, ut jussa esset, supplicaret, an poenam interfectoribus imprecaretur scelere dignam, ut moris esset mortalium, an vero nullam mittens vocem inferias in tumulum effunderet sordesque quasi ejecisset, a tergo vas, oculis non retortis, abjiciens abiret. Qua de re consilium a choro petit. Atque ultima imprimis respiciens ejus verba obtestatur, ut aperto animo, quid haberet consilii, sibi daret, quum dicit, eodem se odio, atque illum, in dominos teneri neminemque ei morte proposita metuendum esse. Mortem enim omnes non solum servos, sed etiam liberos manere. Ad hæc chorus, per tumulum Agamemnonis quasi jurans, profitetur se animi sententiam dicturum. Jubet eam preces inferis adhibere pias, ut salutem precaretur benevolis, necem vero parricidii auctoribus. Quærentique, ultionem a diis precari num pietatis esset, quid? inquit, hostes malis remunerari nonne fas est? Videmus Electram, ut antea chorum, vereri, ea precatione usam, qua mater præcepisset, libationem inferis fundere, neque vero non dubitare, an nefas esset mala malis relata velle. Nullis tamen precibus factis si sacrum faceret, putat se patrem graviter offensuram. Arbitrio igitur majorum natu atque usu peritiorum chori virginum, quibuscum intima familiaritate conjuncta est, rem integram permittit. Hæc sunt sane omnia ætati puellari atque pudori aptissima et ingenuum animum aperiunt. Morem hominum par pari referendi Electra quamquam haud ignorat, ea tamen naturæ bonitate sit, ut dubitet, an satis ille pietati non conveniat; deque ea re ut certi quid statuat, parum se videre putat. Cui dubitationi accommodatum est, quod non prius de Oreste meminit, quam chorus eam commonuit, quodque ipsa nescit, utrum judicem a diis, an vero ultorem precari oporteat. Neque tamen omnis rei imperitam se esse præstat. Tristissima, qua domus afflicta erat, sors eam

---

mum ingressi parodum exposuerunt. Cfr. Hermanni Epit. D. M. p. 280. In Argum. Persarum hoc scriptum est: *τῶν δὲ χορικῶν τὰ μέν ἐστι παροδικά, ὥς ὅτε λέγει, δι' ἣν αἰτίαν πάρεστι* - - - et Schol. ad Eurip. Phoen. 202 ait: *πάροδος δέ ἐστι ᾠδὴ χοροῦ βαδίζοντος, ᾀδομένη ἅμα τῇ ἐσόδῳ.* Tzetzes (*περὶ τραγικῆς ποιήσεως*) dicit: *ἡ μὲν πάροδος δὴ τοῖς θεαταῖς δεικνύει, δι' ἣν ἀφορμὴν ἡ χοροῦ κοινωνία ἐγγίγνεταί πως εἰς τὸ δράματος πάθος, ὅλου χοροῦ λέξις τε πρώτη τυγχάνει.* (F. Heimsoethii Beiträge zur richt. Lectüre d. gr. Dramen p. 99). Ex his locis allatis apparet parodum esse primum chori carmen, in quo pronuntiat, quibus rebus impulsus adsit quæque ratio ei cum agentibus intercedat. Cfr. C. O. Mülleri Geschichte d. gr. Literatur II. p. 65.

fortunæ mobilitatem docuerat et communem generis humani imbecillitatem, cujus memor arbitratur nihil, ne timorem quidem mortis, quemquam sive liberum sive servum, ut aliud dicat, aliud animo sentiat, umquam impellere oportere. Hunc animi fortitudinis fructum ex misera sua fortuna perceperat, eandemque virtutem ut chorus, in consilium adhibitus, præstet, diserte postulat. Et vero ille ei non defuit. Ut constanti erant virgines chori atque corroborata ætate, ita ingenium præstiterunt confirmatum et sibi constans. Quas enim sententias de justitia in parodo pronuntiaverant, in iis etiamtum perstiterunt neque vero recesserunt ab iis quicquam, suspenso Electræ animo inductæ. Suadent igitur sine ulla dubitatione, ut deos inferos aperte imploret, ultorem ut quam primum mittant, qui patris cædem cæde percussorum juste ulciscatur. Quod profecto frustra non suadent. Electra enim, auctoritate earum ducta, quum libamentum sacrificii in tumulo effundit, deos inferos et manes patris multis precibus supplicibusque verbis orat atque obtestatur, ut Orestem exsulem domum restituant seseque e servitute in libertatem vindicent et optima quæque ipsis suppeditent, parricidis contra vindicem summittant atque justam poenam. Quæ tamen omnia tam verecunde precatur, ut inde facile eadem, quam antea præbuit, modestia cum pietate appareat. Primum enim suam servitutem et fratris inopiam atque exsilium deplorans deque superbia atque luxuria matris et Aegisthi querens pro felici Orestis reditu orat, deinde ut multo ipsa honestius vivat ac sanctius, quam vixisset mater, exoptat, tum demum interfectoribus ultionem, verbis interpositis paucis, imprecatur. Quo facto, iterum sibi et fratri salutem precata, virgines jubet inferias plangore ornare. Et instituunt illæ neniam, qua mortuum suum dominum summopere implorant, ut liberatorem domus immittat.

Hoc modo sacrificium illud, quod ad salutem suam Clytæmnestra miserat, in perniciem ipsius vertitur et Agamemno funebrem illum, quo tamdiu caruerat, honorem tandem accipit. Quæ res quanto ad actionem fabulæ momento fuisse putanda sit, nemo non intelligit, qui, Græci quantum posuerint in justis funebribus quamque magnam vim mortuos habere arbitrati sint ad res vivorum, cognitum habet. Constat hanc eos habuisse opinionem, mortuis nisi sepultis aditum ad inferos non patere[1]) eorumque animas, quamdiu sepulturæ honoribus carerent corpora, vagas atque instabiles in ripis Stygiis errare. Quamobrem Græco homini nihil pejus accidere potuit, quam ut mortuus sepulturæ expers fieret sive casu sive vi atque injuria. Pro sanctissimo igitur habebatur superstitum officio, qui vita decessissent, eos, nisi si impia

[1]) Hom. Od. 11. 51. Il. 23. 71. Vergil. Aen. 6. 325.

fraude obligati essent [1]), sepultura afficere [2]). Quin etiam hostibus, quos ceteroquin omni par erat odio persequi, devictis victores oportebat [3]) cæsorum sepeliendi potestatem facere et hoc petentibus recusare, (quod numquam, nisi gravissime iratis animis [4]), fiebat) barbarum habebatur atque impium. Regni enim atque imperii deorum inferorum mortuus quisque esse putabatur. Quod si cui sepultura contra fas denegaretur, fieri non potuit, quin summa in eum, qui hujus injuriæ auctor erat, invidia moveretur atque ira deorum et inferorum, quibus non redderetur, quod eorum esset, et superorum, quos insepultorum aspectus offenderet [5]). In deos igitur omnes immortales, non modo in mortuos, graviter peccaverunt, qui hoc scelus in se admiserunt, infera cum superis miscentes, neque vero gravissima eos poena manere non videbatur [6]). Clytæmnestra autem Agamemnonis corpus ita videtur terræ reddidisse, ut, omnibus sepulcrorum cærimoniis neglectis, sine ulla proximorum lamentatione nullisque exsequias prosequentibus neque cognatis neque civibus eum nocte efferret et in terram infoderet [7]): quo modo nulli, nisi qui manus sibi ipsi attulerant, humabantur [8]). Hunc cumulum sceleribus suis addidit. Haud satis ei erat, jus matrimonii

---

[1]) Thuc. 1. 134. Paus. 4. 18. 3. Plutarach. Themist. 22.

[2]) Hoc in argumento versantur fabulæ Antigone partimque Ajas Soph. et Supplices Euripid., ubi, quam sancta habita sit mortuorum sepeliendorum consuetudo, satis perspicue videri licet. Ipsos deos Achilles apud Homerum Priamo narrat liberos Niobæ sepeliisse, quum alii non essent, qui hoc iis debitum solvere possent. Il. 24. 610. Leges etiam a Solone, Lycurgo, aliis scriptæ erant, quibus sanctum erat, non solum ut, sed etiam quomodo mortui sepelirentur a suis quisque proximis; eorumque sepulcra ut pro sanctis haberentur ac religiosis et vel alienos si quis jacere videret, si non sepulcro conderet, at conspergeret pulvere. Cic. d. Leg. 2. 26; Aelian. V. H. 14. Xenoph. Memorab. 2. 2. 13; quas leges qui neglexerat, in crimen impietatis, τῆς ἀσεβείας, vocabatur. Cfr. Weber. (G. d. Hell. Volkes p. 238). Meier. et Schoemann. (Att. Process. p. 301).

[3]) Eurip. Suppl. 311, 537. Il. 24. 33 sqq. Soph. Aj. 1332. Cfr. S. Mayer. (Die Recte d. Israeliten, Athener u. Römer p. 411).

[4]) Lysandrum Lacedæmonium, quum apud Aegos flumen classe vicisset, Atheniensium ad quattuor milia non solum interfecisse, sed etiam insepulta jacere jussisse Pausanias 9. 32 narrat; et hoc addit neque Athenienses post pugnam Marathoniam mortuis Persis neque ipse Xerxes cæsis ad Thermopylas Lacedæmoniis justa denegasse. Cfr. Curtii Griechische Gesch. II. p. 661. Scheibe. (die Olig. Umwälzung z. Ath. p. 26).

[5]) Od. 11. 73. Il. 22. 358. Soph. Antig. 1073. Eurip. Phoen. 1320. Hippol. 1407. Alcest. 22. Lys. Epitaph. § 7. Cfr. Winiewskii Diss. de anim. post mort. statu ap. Soph. p. 12.

[6]) Soph. Aj. 1155.

[7]) Cfr. Ag. 1554. Choëph. 431. Eurip. Troad. 446—49.

[8]) Plat. Leg. 9. 873. Welckeri kl. Schr. II. p. 291, 504.

violasse; suum filium domo ejecisse; filiam male habere; maritum suum interfecisse, regem clarissimum; virginem miseram, bello captam ac vi abstractam, trucidasse; mortuos denique conviciis consectatam esse [1]). Honesto eos funere privat neque sacra umquam ea facit, quæ in sepulcris manibus fieri solebant. Nihil mirum, si conscientiis stimulata tantorum maleficiorum nonnumquam, quamvis furiis sedulo sacrificaverit [2]), e somno excitatur visis somniorum horribilibus objectis. Quæ non potuisse eam magnopere non sollicitare facile apparet, si, somniis quantum tribuerint Græci, consideres. Divina enim ea esse putabant [3]), vel quod a diis ipsis immissa esse censerent vel quod animi in somnis, ab omni contagione corporis sevocati, neque vitæ necessitatibus servire neque sejungere se a societate divina viderentur atque ita futura prævidere posse. Verum etsi præsagiens quiddam ac divinum in somniis inesse videbatur, tamen non arbitrabantur, omnia, ut præsignificata essent, ita necessario eventura, sed nonnulla documento tantummodo esse hominibus; quæ, etiamsi pericula portenderant, piaculis factis, felicem posse exitum habere videbantur. Quod ubi triste quid per

---

[1]) Pro scelere habuisse Græcos in mortuos insultare testantur Homerus, qui (Od. 22. 412) Ulixem Eurycleæ magna propter occisos procos lætitia exsultanti dicentem facit: *οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι* et Plutarchus, qui (Sol. c. 21) dicit; *ἐπαινεῖται δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ ὁ κωλύων νόμος τὸν τεθνηκότα κακῶς ἀγορεύειν*. Cfr. Agam. 1438—47, 1555—60.

[2]) Eum. 106—9.

[3]) Est apud Homerum Achilles dicens Il. 1. 63 *καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι*, et somnium de se ipsum Il. 2. 26, 63 *Διὸς δέ τοι ἄγγελός εἰμι*, ac divinum, *θεῖος*, dicitur Od. 14, 495 et Il. 2. 56; a deo aliquo missum Od. 20, 87. Xenophon sæpissime somniorum mentionem facit, quæ a diis immissa esse putat, ut Anab. 3, 1, 12; 4, 3, 13; Cyrop. 8. 7. 2, 21; Hipparch. 9. 9: *οἱ θεοὶ πάντα ἴσασι καὶ προσημαίνουσιν ᾧ ἂν ἐθέλωσι καὶ ἐν ἱεροῖς καὶ ἐν οἰωνοῖς καὶ ἐν φήμαις καὶ ἐν ὀνείρασιν*. Herodotus etiam sæpe somnia narrat magnamque iis fidem tribuit, ut 1, 107, 108, 209; 3, 30; 6, 107; 7, 19, alias. Plato, cui omnem sacrificandi et divinandi rationem ad societatem communicationemque deorum et hominum inter ipsos pertinere placet (*ταῦτα δ' ἐστὶν ἡ περὶ θεούς τε καὶ ἀνθρώπους πρὸς ἀλλήλους κοινωνία*, Sympos. 188), dicit, eam animi partem, quæ mentis et consilii sit, vegetam se ad somniandum acremque ita præbere eique visa somnii occurrere veracia, si duæ illæ animi temerariæ partes sint compressæ (Resp. 9. 1); Cic. de div. 1. 29. Aristoteles, quamquam a diis ea non vult profecta, objici tamen posse non negat, quæ vera sint (*περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς* c. 2). Quid? quod, Hipparcho regnante, conjectores publice alebantur? — Solebant etiam Græci somniandi causa loco quodam, ut in fano sæpe dei cujusdam, incubare, ubi quæ quietis visa objicerentur, ad interpretes referebant. Qui divinationis mos inde ab antiquissimis temporibus usque ad secundum post Christ. natum permansit sæculum. Cfr Welckeri Gr. Götterlehre II. p. 139. Homerus jam Il. 1. 63 talia videtur commemorare quietis oracula. Cfr. Nægelsbachii Anmerk. zur Ilias p. 12.

quietem alicui visum est, statim experrectus, lumine apposito, lavabat et diis averruncis vel diis manibus sacrificium faciebat piaculare[1]). Mortui enim et vivi non ita putabantur interrupti esse, ut nihil inter ipsos ab alteris ad alteros manare posset. Immo vero tanta inter eos ratio intercedere videbatur, ut ex iis, quæ in terris gererentur, præclare si facta essent, summam illi perciperent delectationem, sin male atque injuste, dolorem non parvum, et ab inferis vel salutem vel perniciem summittere iis possent, qui hac in vita essent relicti, ut quemque hanc vel illam merere viderent. Neque potestatem in res humanas desiderabant inferi neque vero eas ignorabant. Ac si quis injuriam iis intulisset, poenas ab eo repetendas curabant: et ipsi eum malis, velut somniorum terroribus, afficiebant et aliis, quorum ex jure talionis erat ulcisci, opem ferebant[2]). Neque aliter in Clytæmnestra

---

[1]) Atossa, regina Persarum, apud Aeschyl. Pers. 201, postquam senibus somnium sibi oblatum narravit, hæc dicit: *ἐπεὶ δ' ἀνέστην, καὶ χεροῖν καλλιῤῥόου ἔψαυσα πηγῆς, ξὺν θυηπόλῳ χερὶ βωμὸν προσέστην, ἀποτρόποισι δαίμοσι θέλουσα θῦσαι πέλανον, ὧν τέλη τάδε.* et senes: *θεοὺς δὲ προστροπαῖς ἱκνουμένη, εἴ τι φλαῦρον εἶδες, αἰτοῦ τῶνδ' ἀποτροπὴν τελεῖν.* Aristophanes Ran. 1338 mulierem quandam, quæ ubi ad colum obdormiscens somnio usa est horrendo, experrectam famulis hæc dicentem facit: *ἀλλά μοι, ἀμφίπολοι, λύχνον ἅψατε κάλπισί τ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε, θέρμετε δ' ὕδωρ, ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.* Theophrast. de superstitione scribit: *ὅταν ἐνύπνιον ἴδῃ, πορεύεσθαι πρὸς τοὺς ὀνειροκρίτας - - - ἐρωτήσων, τίνι θεῷ ἢ θεᾷ προσεύχεσθαι δεῖ.* Cfr. Herod. 5. 56; Xenoph. Conv. 4, 33; Choëph. 535; Eurip. Hecub. 72. Ex his omnibus rebus videmus, qua ratione, si quid mali somnia præsignificare putarent, id avertere studuerint Græci. Hoc etiam averruncans esse arbitrabantur, si somnia narrando in lucem protulissent, ut ex Iph. Taur. Eurip. v. 42. 43: *ἃ καινὰ δ' ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα, λέξω πρὸς αἰθέρ', εἴ τι δὴ τόδ' ἔστ' ἄκος*, videre licet itemque ex Electr. Soph. vv. 424—5, quem ad locum Demetr. Triclin.: *ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὁπότε καθ' ὕπνους ὄναρ δεινὸν θεάσαιντο, ἅμα πρωῒ πρὸς τὸν ἥλιον λέγειν, ἵν', ἐπειδὴ ἐναντίος οὗτός ἐστι τῇ νυκτὶ, ἀποτροπὴν ἐργάσηται τούτου.* Cfr. Beckeri Charikl. 1. p. 243.

[2]) Quam vim atque cognitionem rerum humanarum inferi habere crederentur quum ex aliis permultis et poetarum et solutæ orationis scriptorum locis videri licet, tum ex tota fere Choëphororum fabula. Chorus virginum Sept. c. Th., v. 986 de cædibus Eteoclis et Polynicis certior factus, canit: *ἰὼ Μοῖρα βαρυδότειρα μογερὰ, πότνια τ' Οἰδίπου σκιὰ, μέλαιν' Ἐρινὺς, ἦ μεγασθενής τις εἶ*, quæ ultima verba æque ad Erinyn atque ad Oedipi umbram et Moeram referenda sunt. Cfr. Weniewskii l. c. p. 15. Orestes, a furiis Minervæ judicio liberatus, sanctissimum jurat jusjurandum, neminem umquam Argivorum regum Atheniensibus bellum illaturum, hæc addens: *αὐτοὶ γὰρ ἡμεῖς ὄντες ἐν τάφοις τότε τοῖς τἀμὰ παρβαίνουσι νῦν ὁρκώματα ἀμηχάνοισι πράξομεν δυσπραξίαις ὁδοὺς ἀθύμους καὶ παρόρνιθας πόρους τιθέντες, ὡς αὐτοῖσι μεταμέλῃ πόνος· ὀρθουμένων δὲ καὶ πόλιν τὴν Παλλάδος τιμῶσιν ἀεὶ τήνδε συμμάχῳ δορὶ αὐτοῖσιν ἡμεῖς ἐσμεν εὐμενέστεροι.* (Eum. vv. 767—74). Eodemque modo Oedipus Coloneus salutem se ab inferis Atheniensibus allaturum profitetur, perniciem Thebanis, quum chori senibus hæc dicit (v. 457 sqq.): *ἐὰν γὰρ ὑμεῖς, ὦ*

factum videmus. Somnio usa est terribili. Ad interpretes rem retulit. Responderunt, inferos summa in interfectores ira inflammatos esse. Piaculum igitur diis manibus placandis offerri placuit. Electra ad hoc faciendum missa in suam rem sacrificium convertit, quum patrem, ut salutem sibi et opem ad ulciscendum præstet, implorat. Verum ad chorum revertamur.

Hic, quum potissimum consilio suo Electram permoveret, ut libationem effundens bona sibi amicisque suis, inimicis autem mala ab inferis precaretur, neve ex mandato sacrificium faceret, ut mortuus iracundiam dimitteret et mala somnio præmonstrata a Clytæmnestra averteret, haud exiguam profecto partem tenuit actionis fabulæ. Quid ita? quia ab his ipsis sacris atque precibus initium patris ulciscendi, quæ actio erat tragoediæ, captum est. Hac re Agamemnoni debiti honores a proximis adhibiti sunt, inferias dico cum plangore conjunctas: quo munere nihil gratius ei neque acceptius esse poterat, quippe quod, a superstitibus quomodo mortui haberentur, magnopere ad statum eorum apud inferos pertineret; hac re, contra atque Clytæmnestra egerat, benevolentiam sibi inferorum conciliaverunt inimici parricidarum, odium vero eorum atque iram in Cytæmnestram ejusque socium vehementer auxerunt; hac denique re effectum est, ut pericula præsignificata ab

---

ξένοι, θέλητέ μοι πρὸς ταῖσδε ταῖς σεμναῖσι δημούχοις θεαῖς ἀλκὴν ποιεῖσθαι, τῇδε τῇ πόλει μέγαν σωτῆρ' ἀρεῖσθε, τοῖς δ' ἐμοῖς ἐχθροῖς πόνους. Cfr. vv. 626, 1524 In Antigone Sophoclea multi loci sunt, unde apparet, quantum rebus, quæ a superstitibus gererentur, inferi prospicere crederentur, ut v. 65, ubi Ismene Antigonæ *ἐγὼ μὲν οὖν*, inquit, *αἰτοῦσα τοὺς ὑπὸ χθονὸς ξύγγνοιαν ἴσχειν, ὡς βιάζομαι τάδε, τοῖς ἐν τέλει βεβῶσι πείσομαι*, et Ant. Ismenæ v. 94: *εἰ ταῦτα λέξεις --- ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι προσκείσῃ δίκῃ*, et v. 542 *ὧν τοὔργον Ἅιδης χοἰ κάτω ξυνίστορες.* Hercules Hyllum filium jubet ad Oetam montem se asportare et corpus suum rogo impositum concremare, has minas addens: *εἰ δὲ μὴ, μενῶ σ' ἐγὼ καὶ νέρθεν ὢν ἀραῖος εἰς ἀεὶ βαρύς.* Trach. 1201. Eurystheus Atheniensibus, si se sepeliissent, magno id bono futurum prædicat, detrimento Heraclidis (Eurip. Heracl. v. 1032) *καὶ σοὶ μὲν εὔνους καὶ πόλει σωτήριος μέτοικος ἀεὶ κείσομαι κατὰ χθόνος, τοῖς τῶνδε δ' ἐκγόνοισι πολεμιώτατος* et v. 1043 *διπλοῦν δὲ κέρδος ἕξετ' ἐξ ἐμοῦ, ὑμᾶς τ' ὀνήσω τούσδε τε βλάψω θανών.* Cfr. Eur. Hec. v. 535 sqq. Orest. 581, 797, 1225. — Lysias (adv. Eratosth. § 100) dicit: *οἶμαι δὲ τοὺς τεθνεώτας ἡμῶν τε ἀκροᾶσθαι καὶ ὑμᾶς εἴσεσθαι τὴν ψῆφον φέροντας --.* Cyrus Xenophonteus in ea, quam moriens ad filios habet, oratione ait: *τὰς δὲ τῶν ἄδικα παθόντων ψυχὰς οὔπω κατενοήσατε οἵους μὲν φόβους τοῖς μιαιφόνοις ἐμβάλλουσιν, οἵους δὲ παλαμναίους τοῖς ἀνοσίοις ἐπιπέμπουσι*; Cyrop. 8. 7. 18. Quid? quod non modo præteritorum meminisse mortuos arbitrabantur et præsentia cernere, sed etiam futura prævidere? Qua in opinione consuetudo inferorum animas eliciendi erat posita, ut Atossa in Pers. Aesch. Darium regem ab inferis elicit, non ut, quæ facta essent, cognosceret, (hæc enim jam comperta habuit) sed si melius in posterum fieret (*ἀλλ' ἐς τὸ λοιπὸν εἴ τι δὴ λῷον πέλοι.* v. 526). Cfr. Plutarch. Cimon. 6; Herod. 5. 92. 7; Plat. Legg. 10, 909.

interfectoribus inferi non averruncarent, sed evenire vellent auxiliumque ad poenas ab iis repetendas ferrent Oresti: quod auxilium maximi ad rei exitum erat momenti. Antea Electra dubitavit, utrum ultionem se et exitium parricidii auctoribus cupere oporteret, necne, post vero constanter iis et omnibus precibus illa imprecatur; antea Orestes ei in mentem non venit, post autem maximopere pro reditu ejus prospero supplicat. Quæ profecto omnia Orestis, cui audita sunt, animum non minimum confirmant. His enim certior fit, inferias a matre missas esse, non quod facti sui eam poeniteret patremque quod ea munere amoris afficere vellet, sed ut, viso somnii exterrita, conjectorum auctoritate iras in se inferorum placaret: quod matris somnium omen accipit; his conditionem quum civium Argivorum tum sororis suæ, Electræ, cognovit omnemque domus patriæ statum; his ei de benevolentia non solum Electræ, sed etiam chori persuadetur et magna ei spes injicitur fore, ut optimus quisque propositum suum probaret. Quid de opinionibus atque sententiis iis dicam, quas de justitia divina chorus pronuntiavit? Fieri non potuit, quin vehementer iis animus Orestis incitaretur ad ulciscendum et erigeretur, si quando religioni habuit necem suæ matri afferre. Ne multa. Et apud Orestem plurimum auctoritate chorus valuit et, Electra ut contra nocentes ageret, solus effecit. Quæ quum ita sint, facile est intelligere, quas a choro tragico partes sustentas voluerint veteres, eas Choëphororum chorum pulcherrime tueri. Aristoteles quidem [1]) docet chorum esse unum ex actoribus partemque totius et una cum fabulæ personis agere. Quod si cum alio ejusdem scriptoris præcepto composuerimus [2]), ut agentium rei studiosus sine actione administer esse debeat chorus, nihil aliud perspiciemus significare, nisi debere chorum constare non ex ejusmodi personis, quarum, quid in fabula agatur, nihil prorsus intersit, sed ex iis, quæ cum primas agentibus magno quodam necessitudinis vinculo sint conjunctæ, partesque ejus ita esse ad ceteras accommodandas, ut a fabulæ quasi corpore sejunctæ non sint, sed ex his illæ aptæ et inter se colligatæ. Præcipit igitur Aristoteles, ut neque eos, quorum causæ in conflictione sint, faciendo chorus adjuvet, sed eorum quasi comes sit, neque suas res curet, sed eorum, qui agant, iisque ut totum se tradat ac benevolentia prosequatur. Et quidem recte sic de choro existimat. At tragoediæ sunt, quarum in

---

1) Poet. c. 18. 21. *Καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μορίον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥςπερ παρ' Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ παρὰ Σοφοκλεῖ.* cfr. Hasselbachii Sophokleisches p. 56.

2) Probl. 19. 48. *ἔστι γὰρ ὁ χορὸς κηδευτὴς απρακτος. εὔνοιαν γὰρ μόνον παρέχεται οἷς πάρεστιν.*

choros hæc non quadrent! Et Aristoteles scilicet id nesciebat. Qui quum docuisset, quales chori essent partes, hæc addidit: "non ut apud Euripidem, sed ut apud Sophoclem." De Aeschyleis tacet. Nec mirum. Satis habet duo diversa inter se opponere et, eorum utrum sit probandum, indicare. Sophocli igitur, quem ut in omnibus fere rebus tragicis, ita in choro proposuit ad imitandum, opposuit Euripidem, quippe quo homines suæ ætatis maxime delectarentur. Et Aeschyleorum chororum, quamquam nonnulli longe aliter sunt constituti atque Sophoclei, alii tamen, ut hic ipse, de quo nunc quærimus, simillimi his sunt, ut temperationem eorum ad artem Sophocleam Aeschylus direxisse videatur. Quod nemo mirari debet. Quemadmodum enim semper fere in artibus excolendis alius alius inventa asciscit et inchoata excolit non modo is, qui natu est inferior, ejus, qui ætate præcurrit, sed, si æquales sunt, etiam contra, ita Aeschylus rebus nonnullis a Sophocle inventis usus est [1]), ut aucto choreutarum numero, tertio actore, perfectiore apparatu scenico. Primis artis tragicæ temporibus, quum ad similitudinem originis suæ propius accederet tragoedia, carminibus chori tantum tributum est, ut primæ ei partes haud raro deferrentur. Atque Aeschylus, etsi diverbia, ubi alterum adjunxit actorem, amplificavit, carminibus aliquantum imminutis [2]), justo tamen majorem actionis partem in nonnullis, imprimis antiquioribus fabulis, ut in Supplicibus, tribuit choro, quippe cujus res maxime ageretur [3]). Sophocles autem, qui, ut ante diximus, tertium actorem invenit, plus

---

[1]) Auctor Vitæ Sophoclis scribit: *τοὺς δὲ χορευτὰς ποιήσας ἀντὶ δώδεκα πεντεκαίδεκα καὶ τὸν τρίτον ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν.* — Suidas v. *Σοφοκλῆς: οὗτος πρῶτος τρισὶν ἐχρήσατο ὑποκριταῖς καὶ τῷ καλουμένῳ τριταγωνιστῇ καὶ πρῶτος τὸν χορὸν ἐξ ιε' εἰςήγαγε νέων, πρότερον ιβ' εἰςιόνων.* Schol. Aristoph. Eq. 589 *ὁ δὲ τραγικὸς* (*χορὸς*) *ιε' συνεστήκει, ὡς Αισχύλου ἐν Ἀγαμέμονι.* Aristoteles Poet. 4. 16. *τρεῖς δὲ* (*ὑποκριτὰς*) *καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς* (*παρεσκεύασε*). Diog. Laërt. L. 3. 56: *δεύτερον* (*ὑποκριτὴν*) *Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίνον Σοφοκλῆς καὶ συμπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν.* Sunt autem qui Aeschylo inventionem tertii actoris vindicare videantur, ut Themistius Orat. 26 dicit: *Αἰσχύλος δὲ τρίτον ὑποκριτὴν καὶ ὀκρίβαντας* (*ἐξεῦρεν*), qui locus cum superioribus ita componi potest, ut fecit Dahlmannus (de primord. et succ. vet. com. p. 24), quem sequitur Welckerus (Nachtrag z. d. Aeschyl. Tril. p. 269), si chorum pro primo actore Themistius habere putatur. Apud auctorem Vitæ Aeschyli ed. Robert., qui fortasse Themistio usus est auctore, hæc scripta sunt: *τὸν τρίτον ὑποκριτὴν αὐτὸς ἐξεῦρεν, ὡς δὲ Δικαίαρχος ὁ Μεσσηνιος Σοφοκλῆς.* Cfr. Welckeri die Aeschylische Trilogie p. 514. Hermanni opusc. V. II. p. 141; Ferd. Schultzii Comm. de Vita Soph. poetæ p. 70.

[2]) *Καὶ τὸ τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασε.* (Aristot. poet. c. 4). Cfr. P. J. Uylenbroekii Diss. de choro tragico Græcorum p. 6.

[3]) Cfr. Ekkeri Diss. de choro Aeschyleo p. 21, 43.

etiam diverbiis, quibus maxime continetur fabulæ actio, excolendis studuit et actoribus primas semper agendi partes dedit, quas qui sustinuerunt, cum iis arta quadam necessitate chorum conjunxit. Hoc modo constitutus chorus, quum neque ipsius res ageretur neque tamen ea, quam nihil prorsus ad se pertinere putaret, et omni vacuit turbido atque concitato animi motu et vero operam, quam potuit, agentibus non tam re, quam consilio, adjuvandis dedit [1]). Quæ igitur de actione fabulæ ipse sentiret, ea ingenue et libere professus est et ea erant omnia ita comparata, ut, exceptis iis, quæ rerum expositioni vel ipsis agentibus vel spectatoribus faciendæ inservirent, eum ita actionem quodammodo comitari ostenderent, ut si quid triste accidisset, dolorem caperet ac misericordiam, si quid lætum, gaudio et lætitia afficeretur, agentibus ad aliquid faciendum suaderet eorumque recte facta probaret, moderationis semper studiosus a nimio quoque eos revocaret improbaretque omnia injuste facta, calamitate afflictos et profligatos consolari atque erigere, ad rectam rationem et sanitatem vehementer commotos vel superbientes deducere studeret [2]). Quid ergo? Plusne vidit chorus atque intellexit, quam qui egerunt. Non vidit plus neque sapientiora edidit sensa mentis et consilia, quam quæ communi hominum sensui essent consentanea et naturæ ac moribus ejus personarum convenirent. Quo tandem modo meliora agentibus suadere potuit atque prudentiora, quam quæ ipsi viderent? Quia horum oculi mentis turbidis concitatisque animi motibus præstringebantur, illi autem, quippe qui tranquilliore animo, quicquid agebatur, perciperet, integra erat judicandi potestas. Non igitur ii audiendi sunt, qui recentioribus temporibus de choro Græcorum disputantes statuerunt, spectatorem quendam, quo nihil præstantius cogitari posset, eum esse, qui extra actionem

---

[1]) Bei Sophokles bildet der Chor einen wesentlichen Theil der Darstellung selbst, in welcher er selbst mit handelt, aber nur rathend und lenkend, niemals leidend oder eingreifend in die Motive des Stücks. G. H. Bode. (Geschichte d. Gr. Dr. I. p. 387). Er greift deshalb in die Handlung nicht thatsächlig ein, er übt kein Recht thätig gegen die kämpfenden Helden aus, sondern spricht nur theoretisch sein Urtheil, warnt, bemitleidet, oder ruft das göttliche Recht und die inneren Mächte an, welche die Phantasie sich äusserlich als den Kreis der waltenden Götter vorstellt Hegel. (Vorlesungen üb. die Aesthetik III. p. 548). Cfr. Ed. Mülleri Gesch. d. Theorie d. Kunst II. p. 166, Schreiteri Diss. üb. d. Trag. Chor bei Sophokles p. 4 et alias.

[2]) Horatius (in epist. ad Pison. v. 193) de chori officiis ita præcipit: Actoris partes chorus officiumque virile defendat, neu quid medios intercinat actus, quod non proposito conducat et hæreat apte. Ille bonis faveat et consilietur amice, et regat iratos et amet pacare tumentes, ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem justitiam legesque et apertis otia portis, ille tegat commissa deosque precetur et oret, ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

fabulæ vel supra illam positus esset et nomine poetæ veris spectatoribus, quid de rebus in scena actis judicare oporteret, voce quasi præiret[1]). Quid enim? Qui aliquo semper necessitudinis vinculo cum iis, quarum res agebantur, personis connexi erant, ut in imperio eorum sæpe essent atque etiam servi nonnumquam[2]), quique has partes sibi constanter obtinebant, illi quidquid de factis agentium sentirent, idem a spectantibus sentiri poetam voluisse putamus? An vero ii, qui, quoniam plerumque, prologo demum acto, argumentique post expositionem accedebant ad actionem fabulæ, multa, quæ cum spectantibus jam erant communicata, ignorabant, recte potuerunt de rebus actis judicare; spectatores non potuerunt nisi a choro edocti, qui, præterquam quod actioni ab initio præsentes aderant, e notis populi fabulis summam rei habuerunt cognitam judicioque usi sunt liberiore, quam chori personæ, quibus quum amicitia cum agentibus intercederet, facile accidit, ut studio inductæ, alteram partem parum respicerent? Quid? Sophoclem num putas voluisse auditores, quid de facto Antigonæ sentiendum esset, per chorum senum docere? Qui usque eo Antigonem vituperavit, quoad Tiresias prodiit, post vero Creontem[3]). Tantum abfuit, ut quasi exemplar quoddam sapientiæ chorus esset, ut nonnumquam, quæ excelsa et magnifica sentiebant personæ fabulæ principes quæque magna sibi proposuerant assequenda, ea ne capere qui-

---

[1]) Hoc modo Schlegelius (Vorlesungen üb. dram. Kunst. V. 1. p. 76) disputat: Wir müssen den Chor begreifen als den personificierten Gedanken über die dargestellte Handlung, die verkörperte Theilnahme des Dichters, als des Sprechers der gesammten Menschheit. et p. 77: Der Chor ist mit einem Worte der idialisierte Zuschauer. Er lindert den Eindruck einer tief erschütternden oder tief rührenden Darstellung, indem er dem wirklichen Zuschauer seine eignen Regungen schon lyrisch, also musikalisch ausgedruckt entgegenbringt, und ihn in die Region der Betrachtung hinaufführt. Cum quo consentiens Wellauerus (Allgemeine Encyclopädie von Ersch und Gruber Th. 21. p. 1926) dicit: So war der Chor, ausserhalb oder über der auf der Bühne dargestellten Handlung stehend, nach Schlegels' Ausdruck, der personificierte Gedanke über dieselbe etc. Idemque fere, C. O. Müllerus (Geschichte d. gr. Lit. p. 117): den Eindruck der Begebenheiten und Zustande auf die Nicht handelnden darzustellen und der Theilnahme wohlgesinnter Zuschauer seine Stimme zu leihen ist die Hauptaufgabe des tragischen Chors.

[2]) Quæ scholiastes ap. Soph. Aj. v. 134 notat: *πιθανῶς αὐτῷ ὁ χορὸς ἐσκεύασται ἀπὸ Σαλαμινίων ἀνδρῶν, τοῦτο μὲν παῤῥησιαζομένων, ὡς ἐλευθέρων, τοῦτο δὲ συμπαθῶς ἐχόντων, ὡς πολιτῶν, καὶ αἰδημόνως λαλούντων, ὡς ὑπηκόων*, ea non recte docti quidam, ut Schneidewinus (Soph. Aj. p. 33), Uylenbroekius (de chor. trag. Gr. p. 10) ad universos choros tragicos relata volunt. Indicat his verbis scholiastes nihil aliud nisi causam, cur ex hominibus Salaminiis chorum Ajacis constituerit Sophocles, ostenditque chorum semper ad argumentum fabulæ electum et accommodatum esse.

[3]) Ut 471, 603, 854, 875; 1104, 1270, 1350.

dem posset, et, sicut temperantiæ ac moderationis partes tuebatur, ita mediocritatem quandam intellegentiæ, communem hominum sensum nihil superantem, præstaret[1]). Quæ ipse generi et loco et ætati suæ convenienter[2]) sentiebat, ea dicendo exprimebat, non, ut chorus co-

---

[1]) De hac re Gruppeus (Ariadne p. 240) ita disputat: Sehr entfernt also, dass der Chor weiter sähe als die Handelnden, dass er über dem Stück schwebte, es dem Zuschauer erklärte, ihm Lehren daraus abzöge, steht er selbst vielmehr unter dessen Niveau und man könnte viel eher eine nicht allzu vortheilhafte Darstellung der beschränkten Volksmeinung darin gewahren; et p. 736: Alles fehlt daran, dass er über der Handlung stünde und wohl gar die Räsonnements des Dichters darüber in den Mund bekäme, in welchem Sinn die Neuern ihn meistens nachgebildet, sondern er selbst überschaut keineswegs das Ganze, er ist sogar besonders befangen und dient, wie wir unzweifelhaft sahen, vornehmlich dem Dichter dazu, durch seine Befangenheit und die Widersprüche seiner Ansichten, wohl gar durch das ausdrücklich Kurzsichtige und Verkehrte seiner Urtheile, dem Zuschauer selbst, welcher höher gestellt worden, die wahre Auffassung nahe zu legen. Et Welckerus (die Aeshylische Trilogie p. 26): Wenn im Charakter des Chors, welcher, aus der Gemeinde gebildet, durchgängig eine Beziehung auf die Verhältnisse, so wie auf die gewöhnliche Natur des Volkes zu behaupten scheint, im Allgemeinen eine gewisse Mittelmässigkeit der Ansicht liegt, dem gewöhnlichen Sinn einer gutartigen Menge angemessen, Bereitwilligkeit, Frevel, Gefahren und Irrthümer zu meiden, aber auch Unfähigkeit, hohe Tugenden und Helden-Naturen zu begreifen etc. In eandemque sententiam Bodeus (Geschichte der Dr. Kunst l. l.): Er steht auch nicht über der Handlung, um das Ganze in seinem Verlaufe überschauen zu können, oder um als idealisierter Zuschauer den Nationalen Gemeingeist oder die allgemeine menschliche Theilnahme vorzustellen; nein, durch eine solche Stellung des Chors würde der Dichter gar sehr das Interesse des Zuschauers an der Handlung beeinträchtigt und die eigentliche Kraft seiner Dramatik, welche den Zuschauer höher stellt und zum Mitwisser der tragischen Motive macht, selbst wieder gebrochen haben. Fr. Raumerus (Vorlesungen üb. die alte Geschichte II. p. 443): Was soll der Chor? An die Bacchusfeste erinnern? Das wäre eine sehr unzeitige Pietät. Die Demokratie vorstellen oder geltend machen? Diese Aufgabe wird nirgends wirklich gestellt und gelöset, auch erklärt die spätere Demokratie den Chor wenigstens geschichtlich nicht für Zeiten, wo es noch keine Demokratie gab. — Den Zuhörern vorsagen, wie sie denken und fühlen sollen? Es fehlt ihnen ja aber nicht an eigenem Verstande und Gefühle, auch ergiebt sich die rechte Stimmung und das rechte Urtheil am besten aus dem dramatischen Handeln selbst. — Den Zuhörer idealisiert in die Tragödie selbst versetzen? Dies gäbe aber doch gewiss ein hors d'oeuvre und Flickwerke. Das höhen substantielle Bewustsein darstellen? Steht denn aber die didaktische Reflexion höher als das Handeln der Helden? Cfr. Schreiteri Abhandlung üb. d. trag. Chor bei Sophocles p. 8.

[2]) Audiamus, quæ Heldius (Bemerkung. zur Charakteristik des Chors in d. Antig. p. 3) disserit: Jederzeit anders erscheint Charakter und Bedeutung des Chors, je nachdem er aus Bürgern der Stadt besteht, welche bei den Ereignissen des Stückes als Mitleidende betheiligt sind, oder aus edlen Greisen, denen Alter und bürgerliche Stellung die Fähigkeit und die Befugniss zu dem Urtheile besonnener

micus in parabasi [1]), quæ animo poeta agitabat. Quibus dictis singularem semper, ut natura tragoediæ ferebat, pietatem erga deos summamque præceptorum religionis reverentiam professus est, et quæcumque fieri videbat, in iis deorum agnovit vim ac voluntatem. Quo factum est, ut in sententiis universis sæpe carmina ejus versarentur et in exemplis e fabulari historia sumptis, quibus omnibus mentes non modo agentium, si præsentes in scena essent, verum etiam spectatorum ab iis, quæ modo acciderant, ad leges divinas contemplandas revocabat et ad communem generis humani sortem considerandam. Quod quam aptum sit ad mentes consolandas motusque animorum sedandos vehementiores, quis est, qui non videat? An si perspectum habemus, si quæ uni acciderint, ea esse omnium communia et legibus divinis sanctum esse, ut, quicumque peccaverit, ei sint poenæ subeundæ, non mirum quantum erigimur? Chori igitur ratio ita erat comparata, ut quum actio ipsa cessaret vel potius in scena nihil ageretur — nam cessare actio per totam fabulam vix dici potuerit — cantibus ille suis, quæ stasima vocata sunt, spectatores et a motibus animorum, re modo acta concitatis, ad leniores quosdam avocaret et tamen in persimilibus quodammodo animi affectibus retineret in iisque, quæ viderant agi, considerandis. Ita effecit ille quidem sententiis suis, de actione prolatis, ut spectatores ad res fabulæ alienas animum ne adverterent, quod contra in tragoediis, quæ nunc aguntur, per symphoniacos homines plerumque fit, suoque metu ac spe proposita præparavit eorum mentes ad ea, quæ proxime insecutura erant [2]); sed ut

---

Weisheit gibt über das, was im Stücke vorgeht, oder aus Schiffsleuten, deren Schicksal von dem Schichsal ihres Führers abhängt, oder die den Absichten und Befehlen ihrer Gebieter zu folgen verpflichtet sind, oder aus Jungfrauen und Frauen, die mit der Theilnahme inniger Anhängigkeit der fürstlichen Freundin oder Herrin bei freudigen und bei traurigen Erfahrungen zur Seite stehen; quæque Welckerus dicit (Nachtrag zu d. Schrift üb. d. Aesch. Tril. p. 330): Der Chor in der Tragödie enthält das dem einzelnen Geschlecht, Alter und Stand natürliche Urtheil und Gefühl über der handelnden Personen Charakter und Thun und Erleiden, einen geistigen Widerschein der dargestellten Handlung.

[1]) *Τραγικὸν δὲ οὐκ ἔστιν, ὅταν, ἃ ὁ ποιητὴς πρός τὸ θέατρον βούληται λέγειν, ὁ χορὸς παρελθὼν λέγει ταῦτα.* Poll. 4. 16. ed. Bassil. 1536. Cfr. C. Kockii Diss. de parabasi, antiquæ comoediæ Att. interludio, p. 2. alias.

[2]) Diligentissime tragici Græcorum cavebant, ne quid inopinato accidere videretur. Nec profecto injuria. Quos enim spectantium motus animi tragoediæ erat commovere, ii tum optime et gravitate ejus maxime digne excitati sunt, quum venientia spectantes longe ante viderent. Nam quæ subito incidunt mala, ea frangunt atque percellunt animum, quæ autem ante provisa et exspectata sunt, ea commovent quidem mentem, nullum tamen terrorem, nullam perturbationem afferunt. Præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quæ venientia longe ante

spectantes ita impelleret, ut, quæ ipse de rebus gestis existimaret, eadem illis viderentur, id neque egit umquam nec efficere potuit. Nam etsi placidiore erat animo et potestatem judicandi habebat liberiorem, quam ii, quorum res agebatur, fieri tamen non potuit, quin, etiamsi omnes res utriusque partis cognitas habuisset, quod tamen eum non habuisse videmus, judicium ejus ea aliquid turbaretur necessitudine, quæ cum agentibus ei intercedebat. Fiebat illud quidem sæpenumero, ut unum idemque, atque chorus, sentirent auditores, neque tamen ideo quod auctoritati illius temere parerent, sed quia rem ita se habere ipsis erat persuasum. Erat etiam ubi, quum errare illum perspicerent, diversa sentirent atque adeo contraria. Spectatores enim, ut qui nullo alio conjunctionis vinculo cum iis, qui agebant, conjuncti essent, quam quo homo cum homine consociatur, liberius judicare potuerunt ipsi et certius, quippe qui actioni inde ab initio interfuissent. Ac ne quicquam horum omnium prohibuisset, quominus animos spectantium, quocumque vellet, duceret chorus, id tamen propositum, si ejus fuisset, alienum fuisse putamus tragoediæ. Cujus ut totius, ita singularum partium propositum esse nihil aliud recte dici potest, nisi ut opus quoddam conficiatur artificiosum: ut si his vel illis sensibus homines tragoediam actam spectantes afficiuntur, id non tam ideo fit, quod a poeta spectatum est, sed quia hujusmodi quodque artis opus, si perfectum est, ita auditorum animos afficit. Quæ omnia si recte disputata sunt, facile apparet, chorum neque extra actionem collocatum esse neque vero superiorem, quam spectatores, tenuisse locum [1]). Hæc, quæ universe de choro tragico Græcorum dicta sunt, in Sophocleum tamen chorum maxime quadrant. Nam ut majores sustinuerunt partes chori Aeschyli antiquiorum fabularum, ita Euripideorum multi minores egerunt. Priorum autem Euripidis fabularum chori melius sunt constituti, quam posteriorum, Sophocleisque similiores: quæ canebant ac-

---

videris, ut ait Cic. (Tusc. 3. 14. 29). Neque vero lætitia voluerunt mentes opprimi; quare ut tristes, ita ne lætas quidem res oculis spectantium subjecerunt repentinas.

[1]) De spectatorum superiore loco ita disserit Schreiterus l. l. p. 11: Ein solcher Standpunkt grösserer Uebersicht folgt von selbst daraus, dass jemand bei einer Handlung nicht persönlich betheiligt, oder handelnd einzugreifen genöthigt ist, sondern nur den ruhigen Beobachter abgibt, er hat dann immer voraus, dass sich die Leidenschaft und das egoistische Interesse nicht in Spiel mengt und den Blick trübt, die wahre Einsicht verwirrt, oder wie es geschieht, wenn die Dringlichkeit der Umstände fordert thätig aufzutreten, dass er der Schwächen der mangelhaften Persönlichkeit nicht braucht sichtbar werden zu lassen, der Beobachter ist allein mit unbefangner Wahrnehmung und unbestochnem Urtheil geschäftig, wenn auch immerhin seine Theilnahme in Anspruch genommen, und Gefühle der Zuneigung oder Abneigung in ihm erweckt werden.

commodata semper erant iis rebus, quæ agebantur; universas sententias ex actione ductas pronuntiabant; agentium causa, non sua, curæ illis erat. Id vero vel in his Euripides in se admisit, ut in chori persona, quæ ipse, philosophorum illius ætatis doctrinis imbutus, de rebus divinis aliter ac vulgus sentiret, nonnumquam exponeret. Quod tamen posteriorum fabularum in choris sæpius etiam peccavit. Quorum præterea ratio longe aliter erat comparata, ac priorum. Suas magis res, quam agentium, curabant. Carminibus illorum nullæ fere continebantur universæ sententiæ, sed pro iis longæ narrationes, quæ in re aliqua fabulari describenda versabantur, ut sæpissime in Trojæ expugnatione et in Atridarum malis. Sine justa causa sæpe et fortuito prodire videbantur. Desiit igitur sensim chorus Euripideus pars esse tragoediæ necessaria, qualis fuerat in fabulis Aeschyli et Sophoclis, magisque eum Euripides videtur ornandi causa, et quia a majoribus traditum et publica auctoritate sanctum habuit, retinuisse, quam quod eum putaret ita cum ceteris fabulæ partibus esse confundendum, ut totum quiddam conficeretur, ubi omnes partes inter se aptæ colligatæque essent tamquam corporis membra, nihil ut redundare, nihil deesse videretur, denique ut apta illa tragoediæ compositio efficeretur, quam in superioribus admiramur. Quæ si vera sunt, manifestum est, quamobrem Aristoteles Euripidem male tragoediam disposuisse dixerit [1]). Sed adhibeat oratio modum et redeat illuc, unde deflexit.

Chorum hujus, de qua nunc quærimus, tragoedia cur Aeschylus voluerit constare ex virginibus iisque famulis, si investigabimus, inveniemus eum consulto hac in re egisse et prudenter. Quemadmodum enim tragici semper eam in choris componendis secuti sunt legem, ut ad suum cujusque fabulæ argumentum chorum quam maxime accommodarent, ita Aeschylus in hoc constituendo choro eas invenit personas, quibus vix ullæ magis hujus tragoediæ argumento convenientes inveniri possent. Res ea, quæ in Choëphoris erat agenda, ultio fuit, quam pro cæde paterna Orestes filius ab interfectoribus exegit. Qui cædem fecerant, fuerunt mater et socius ejus, quocum vivebat et conjugium inierat. Hi domum Agamemnonis occupaverant ejusque regnum, liberorum autem ejus unum in exsilium quasi quoddam expulerant, alteram domi in servitute tenent. Ita sperant fore, ut in tuto sint. Neque profecto vana videbatur illa spes. Jamdudum imperium tenent, si non populo Argivorum probati, at poena sceleris sui nulla affecti. Verum, interjectis multis annis, factum est, ut et Clytæmnestra somnio utere-

[1]) Poet. c. 13. *Καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.*

tur terribili, quod conjectores interpretati inferos prædixerunt iracundia in cædis auctores incensos esse, et Orestes oraculo Apollinis Pythii juberetur poenas patris ab interfectoribus repetere. Clytæmnestra igitur, auctoritate interpretum adducta, manes occisi regis ut placaret inferias tumulo afferre constituit. Ipsa autem eas ferre noluit, propterea quod ut mortuus quisque ægerrime ferre putaretur, si quis inimicus sepulcro ejus accederet [1]), ita ira Agamemnonis, munere ab ipsa oblato, augeri multo magis, non placari videretur. Itaque filiam misit Electram, qua nemo aptior esse posset, qui acceptum mortuo sacrificium faceret. Quod quo etiam sollemnius fieret, non solam eam proficisci, sed comitatu septam voluit. Sed quonam comitatu? Non quivis erant apti, qui prosequerentur. Debuerunt enim comites primum non invisi mortuo esse, ut, quod spectaret, Clytæmnestra consequeretur, deinde ii esse, quibus fidem illa haberet quosque putaret si non ex animo velle, at non audere sibi non favere. Quod ii, qui in bello illo, quo tantam sibi famam ac gloriam Agamemno pepererat, capti manubiarum loco ei contigerant et præclaræ ejus laudis, Troja eversa comparatæ, testes fuerant, manibus ejus inferias tuleruut una cum filia, non potuit non pergratum Agamemnoni esse. Quod vero mulieres magis Clytæmnestræ viderentur idoneæ, quæ comitarentur Electram, quam viri, id profecto mirum non erat. Ipsa enim Electra fuit virgo. Virgines autem domo exire non solebant nisi una pluribusve aut servabus aut aliis mulieribus comitantibus neque eas non dedecere una cum viris esse [2]). Nec vero Clytæmnestra sibi persua-

---

[1]) Qua religione ductus Teucer Sophocleus (Aj. v. 1393) Ulixi dicit: *σὲ δ', ὦ γεραιοῦ σπέρμα Λαέρτου πατρὸς, τάφου μὲν ὀκνῶ τοῦδ' ἐπιψαύειν ἐᾶν, μὴ τῷ θανόντι τοῦτο δυσχερὲς ποιῶ.* Quid? quod fuerunt, qui morientes relictis imponerent, ne certos quosdam homines a sepulcris suis prohiberent, ut apud Isæum (Orat. d. Astyphili hered. § 19) scriptum est: *ὡς δέ, ὅτε ἀπέθνησκεν Εὐθυκράτης ὁ πατήρ Ἀστυφίλου, ἐπέσκηψε τοῖς οἰκείοις μηδένα ποτὲ ἐᾶσαι ἐλθεῖν τῶν Θουδίππου ἐπὶ τὸ μνῆμα τὸ ἑαυτοῦ, τούτων ὑμῖν τὸν ἔχοντα τὴν τηθίδα τοῦ Ἀστυφίλου μάρτυρα παρέξομαι.* Cfr. orat. de Philoct. hered. § 51.

[2]) Nausicaam Homerus (Od. 6. 84) canit non solam, sed famulis virginibus comitatam, ad lintea lavanda profectam esse neque decorum ei visum esse, Ulixem, quem naufragum invenerat, secum urbem Phæacum intrare. Euripides (Orest. v. 108) Helenam facit Electræ quærenti, quidni Hermionen filiam ad inferias Clytæmnestræ afferendas miserit, respondentem: *εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν.* In Heraclidis Macaria exiens dicit (v. 474): *ξένοι, θράσος μοι μηδὲν ἐξόδοις ἐμαῖς προσθῆτε· πρῶτον γὰρ τόδ' ἐξαιτήσομαι· γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν κάλλιστον, εἴσω θ' ἥσυχον μένειν δόμων.* Ne matronis quidem, nisi quæ ætate progressæ erant, dedecori non fuisse sine servabus comitibus in publicum prodire, ex multis locis apparet, ut ex verbis Hyperidis apud Stob. LXXIV. 33: *δεῖ τὴν ἐκ τῆς οἰκίας ἐκπορευομένην ἐν τοιαύτῃ καταστάσει εἶναι τῆς ἡλικίας, ὥστε τοὺς ἀπαντῶντας πυνθά-*

dere potuit, Electram, cujus morum verecundiam noverat, et famulas, quarum sortem in sua potestate positam esse putabat, sacrificium facere posse non ea mente, qua factum ipsa vellet, sed ita, ut gratiam sibi ipsis et Oresti exsuli conciliarent mortui. Verumtamen non modo hanc ob causam chorum Choëphorum his personis contineri poeta voluit, sed ideo etiam, quod ab iis solis et Electra, quippe quum filius Orestes procul abesset necdum frater Menelaus in patriam rediisset, justi Agamemnoni sepulcri honores tribui possent et lamentationes funebres [1]), quibus tamdiu caruisset: quæ quantum efficere viderentur,

---

νεσθαι μὴ τίνος ἐστὶ γυνή, ἀλλὰ τίνος μήτηρ, ex Athenæi Deipnosoph. 12. 20: *Καὶ νόμος ἦν --- τὴν ἐλευθέραν μὴ ἐκπορεύεσθαι ἡλίου δεδυκότος, ἐὰν μὴ μοιχευθησομένην· ἐκωλύετο δὲ καὶ ἡμέρας ἐξιέναι ἄνευ τῶν γυναικονόμων, ἀκολουθούσης αὐτῇ μιᾶς θεραπαινίδος.* Quantum interesse existimaverint, mulierem domo non solam exiisse, ex eo patet, quod is, qui famulas nullas habuit, uxori suæ exituræ comites mercede conducere solebat, ut ex Theophr. charat. 22 videri licet: *καὶ τῇ γυναικὶ δὲ τῇ ἑαυτοῦ προῖκα εἰςενεγκαμένῃ μὴ πρίασθαι θεράπαιναν, ἀλλὰ μισθοῦσθαι εἰς τὰς ἐξόδους τὰς γυναικείας παιδίον τὸ συνακολουθῆσον.* Cfr. Plutarch. Sol. 21. Weberi Gesch. des Hell. Volkes p. 236. Schoemanni Griech. Alterthümer I. p. 514. Anonymi Geschichte der Frauen. Leipzig 1853 p. 27.

[1]) Lamentationes ad cærimonias funebres pertinuerunt omninoque a cognatis sunt factæ mulieribus, mortuum proximo a morte die in lecto funebri compositum circumstantibus. Permultis locis Homerus hujus mortuos lamentandi moris mentionem facit idque præcipue *γέρας θανόντων* appellat, ut Il. 18. v. 339, ubi Achilles Patrocli amicissimo hæc mortuo dicens inducitur: *ἀμφὶ δὲ σὲ Τρωαὶ καὶ Δαρδανίδες βαθύκολποι κλαύσονται, νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσαι*, et vv. 352—55, ubi finguntur Myrmidones cum Achille mortuum in lecto positum lamentantes, itemque 23. 12—18. Il. 22. v. 353 Achilles Hectori morienti hæc terribilia minitatur: *οὐδ' ὥς σέγε πότνια μήτηρ ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται, ὃν τέκεν αὐτή --*. Il. 24. 719—24 describitur, quomodo Troades, præeunte Andromacha, Hectorem mortuum ab Achille redemptum deplorent. Cfr. Il. 23. 9. Od. 4. 197. Cum his lamentis antiquissimis certe temporibus percussiones pectorum capitumque conjunctas fuisse et genarum lacerationes diruptionesque vestimentorum apparet non solum ex eo, quod Solon, ut Plutarchus (Sol. 21) narrat, hanc rem lege quadam vetuit: *ἀμυχὰς δὲ κοπτομένων καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν*, sed etiam ex multis scriptorum locis, ut chorus Troadum (Eurip. Hec. v. 649 sqq.) canit: *στένει δὲ καί τις ἀμφὶ τὸν εὔροον Εὐρώταν Λάκαινα πολυδάκρυτος ἐν δόμοις κόρα πολιάν τ' ἐπὶ κρᾶτα μάτηρ τέκνων θανόντων τίθεται χέρα δρύπτεταί τε παρειάν, δίαιμον ὄνυχα τιθεμένα σπαραγμοῖς*, ut chorus Ajacis Soph. (vv. 630—34) de matre Ajacis dicit: *ὀξυτόνους μὲν ᾠδὰς θρηνήσει, χερόπληκτοι δ' ἐν στέρνοισι πεσοῦνται δοῦποι καὶ πολιᾶς ἄμυγμα χαίτας*, ut Chorus Supplicum Aeschyli (v. 120) *πολλάκι δ' ἐμπίτνω ξὺν λακίδι λίνοισιν ἢ Σιδονίᾳ παλύπτρᾳ.* Cfr. Aech. Pers. 125, 468, 835, 1031, 1054; Homer. Il. 18, 22—35; 19, 284—86; Eurip. Orest. 961; Phoenis. 1351; Androm. 1209; Hel. 1087—89. Hunc lugendi morem etiam posterioribus temporibus viguisse colligere possumus ex Plutarcho (consol. ad uxor. 3) ubi uxorem laudat, quod mortem liberorum non lamentaretur: *καὶ τοῦτο λέγουσιν*

ut mortuus ad suam apud inferos perveniret auctoritatem atque amplitudinem, jam supra vidimus. His honoribus Agamemno antequam auctus est nihil potuit nisi Clytæmnestram malis insomniis terrere, et filio se offerre, ut ad ulciscendum eum adhortaretur. Auxilium suis nullum præstare potuit tam contumeliosa morte affectus ac tam inhonesto sepulcro; quo in auxilio quantum et ad prosperum Orestis reditum poeta et ad vindictam feliciter peragendam positum esse voluerit, quum ex universa fabulæ ratione tum ex precibus, quas inferis adhibuit Orestes, ad tumulum patris quum advenisset, et ex precatione, qua usa Electra inferias patri effudit et ex lamentationibus illis lugubribus in sepulcro ab Oreste et Electra et choro in vicem factis præclare intelligere possumus. Majorem enim primi, quod vocant, episodii partem, quæ dimidia prope pars est totius fabulæ, in benevolentia et gratia inferorum ulturis concilianda versari videmus; quæ tragoediæ constitutio valde erat reprehendenda, nisi eæ ipsæ, quæ ibi aguntur, res quam maxime ad rei exitum pertinerent. Quamobrem ii non sunt audiendi, qui dicunt nihil in hac fabulæ parte agi[1]). Quid

---

οἱ παραγενόμενοι καὶ θαυμάζουσι. ὡς οὐδὲ ἱμάτιον ἀνείληφας πένθιμον οὐδὲ σαυτῇ τινα προσήγαγες ἢ θεραπαινίσιν ἀμορφίαν καὶ αἰκίαν.

[1]) F. C. Petersenius (de Aeschyli vita et fabulis p. 184) hæc scribit: "in plus quam dimidia Choëphororum parte nihil prorsus agitur: sed cantibus ac colloquiis choreutarum ad rerum postea gerendarum intelligentiam nostri animi præparantur." At his cantibus et colloquiis non modo præparantur spectatorum animi, sed suscipitur ipsa etiam fabulæ actio ac promovetur aliquantum. De lamentationibus a fratribus in tumulo patris choro adjuvante factis Rapp (Gesch. d. griech. Schauspiels p. 32) ita dicit: "Diese lyrische Partie füllt mehrere hundert Verse und ist der eigentlich dramatische Fehler dieses Stücks." et (p. 34) "Nachdem Orest erkannt ist und seine Sendung durch den Gott angekündigt, so war zunächst kein dramatisches Motiv bis zur Ausführung mehr übrig. - - - Dieser zweite Theil des Stücks ist also dramatisch betrachtet ein Fehler, und ein langer Fehler." Quid? si auxilio patris Oresti opus erat ad immanes illas poenas a matre repetendas, num quid peccavit Aeschylus, quod liberos id, ut fieri oportebat, impetrantes induxit. Hæc num parum justa fuit causa, cur Orestes non statim post agnitionem in regiam ad rem peragendam ingredi fingeretur. G. Hermannus (Opusc. Vol. II. p. 311) dicit Choëphoros eam esse fabulam, in qua actionis non multum - - sed de scena tanta tamque admirabilis cantionum varietas - - ut tota fabula lyricam indolem spiret cantusque in ea primarium locum teneant; et (p. 312) non tam id egisse poetam ut actionem aliquam strenue explicare, quam ut, quæquæ actio esset, ea melicis carminibus aptam præberet materiam. Hæc nescio an Hermannus fuerit numquam dicturus, nisi in eam incidisset opinionem, "primam semper trilogiæ fabulam mentis potissimum atque animi oblectationi actione gravi plene atque explicate ad finem perducenda inservire; secundam canticorum modulatione ac multiplici varietate aures permulcere; tertiam denique oculos novo atque insolenti spectaculo percellere ac retinere"; qua de trilogiæ compositione vix jam quisquam ei, opinor, assentiri voluerit? Quid

enim? Primum tum nihil agitur, quum inferias Electra fert mortuo? Quibus latis ex opinione Græcorum opus erat, ut auctoritas Agamemnoni sua apud inferos restitueretur, quam nisi haberet, neque ipse opem liberis ferre poterat neque a diis inferis eam impetrare, quippe qui non vere suum eum putarent. Deinde tum nihil, quum chorus neniam, lamentationis plenam, instituit? Qua ad inferias accipiendas Agamemno et ad preces Electræ audiendas excitatus est[1]). Neque vero continuo non eo comprobatur, inferias factas et preces non frustra fuisse, sed ad rem agendam magnam habuisse vim, quod statim postea primum, cincinno in sepulcro invento et vestigiis conspectis, magna Electræ spes reditus Orestis injicitur, deinde exspectatissimus ille se ipse offert sorori salvus atque incolumis. At enim jam ante inferias peractas redux Orestes fuit. Certe, sed multo meliore eum fuisse conditione, postquam sororem convenisset, quam qua fuisset, quum ad tumulum primum accederet, quis est, quin videat? Cum Pylade solo post multorum annorum absentiam in patriam redierat, ut opulentissimos homines, regem et reginam, opibus valentes armatisque stipatos, peteret, nescius, quo in se animo cives, quo in hostes suos essent affecti. Nihil igitur mirum, si dubius tum erat, an res sibi suscepta non succederet. Spe tamen atque animo primus statim eum sororis aspectus implevit; qui animus summopere augebatur, quum ex parodo chori atque ex colloquiis, ab Electra et choro inter se habitis, audiret, qui esset status rerum Argivorum, quos quum in dominantes tum in se animos non modo chorus et Electra, verum etiam cives haberent. Audivit dominos terræ nihil auctoritate apud cives valere; audivit choro persuasissimum esse, necem, Agamemnoni illatam, nisi

---

enim? Pauciorane carmina Agamemnonis sunt aut breviora, quam Choëphororum? Immo vero et longiora sunt neque vero pauciora. Quid? Agamemnonem, quum victor curru triumphali vectus, insignibus victoriæ ac spoliis ornatus, captivis Trojanis, in iisque Cassandra, comitantibus, conspiceretur prodiens in scenam, nonne præclarum spectaculum præbuisse censemus? Hac de re Rapp l. l. p. 26 dicit: Jezt erfolgt der theatralische Glanzmoment, wo Agamemnon an der Spitze seines Heeres, auf dem Triumphwagen mit der kriegsgefangenen Cassandra in die Vaterburg einzieht und vom Chor als Volk feierlich begrüszt wird. Diese Partie macht uns einen Operneffect, weil wir sie so zu sehen gewohnt sind, eine glänzende Repräsentazion soll es ausdrücken. -- Et Choëphororum scenæ apparatus nonne ad oculos spectatorum retinendos accommodatissimus erat? Ubi in scena conspiciebatur sepulcrum, quo primum Orestes filius, supplicis habitu instructus, venit, et patri mortuo, cincinnum sacrificans, preces adhibuit, deinde Electra filia, veste lugubri induta, prosequente choro virginum, signis omnibus doloris ac luctus conspicuarum sacraque portantium, accessit et inferias attulit supplici pro reditu fratris usa precatione.

[1]) De more mortuos excitandi cfr. annot. 2. p. 24.

nece interfectorum expiari non posse; audivit non modo Electram sororem, sed etiam chorum servarum, inferiæ quum mortuo ferrentur, omnibus precibus orare inferos et obsecrari, ut se salvum in patriam reducerent ad ultionem petendam patriumque regnum recuperandum. Atque ex primis jam verbis, quæ ad sororem Orestes fecit, satis apparet, id ipsum ei esse documento preces, diis adhibitas, benigne auditas esse, quod feliciter esset redux e sententiaque eum soror conveniret. Quamobrem is, quum chorus ei et Electræ, lætitia reditus exsultantibus ac deorum implorantibus auxilium ad ultionem perficiendam, suaderet, ut cautiores essent, ne quid dominantes comperirent, dixit se Apollini confidere, qui illud se periculum patris ulciscendi subire jussisset; quin etiam prædicavit sibi poenas, etiamsi oraculo Apollinis non confideret, a parricidis esse repetendas, propterea quod præter jussum dei dolor, ex nece patris captus, et injuria accepta ad ulciscendum adigeret. Usque eo animum Orestes ceperat, ut paratissimus esset ad supplicium de scelestis sumendum, quorum utrumque mulierum loco haberet. Quæ chorus quum audivisset eum confirmavit easdem fere sententias pronuntiando, quibus antea Electræ suaserat, ut in suum suorumque amicorum usum inferias converteret. Lamentationibus deinde illis, quibus frater et soror, tumulo patris insidentes alternisque canentes, et patris et suam domusque patriæ miserrimam sortem complorant, a diis et inferis et superis poenas interfectoribus justas precantur, patrem denique multis et supplicibus verbis obtestantur, ut, ignominiosæ mortis memor, et ipse sibi adversus inimicos subveniat et justitiam in domo recuperanda sociam emittat, his igitur plangoribus sua chorus interponit verba atque preces, quibus lamentantes ac moerore afflictos consolatur et ad spem melioris fortunæ erigit, dubitantes et animi suspensos excitat ad agendum atque inflammat, quum de potentia ac voluntate et deorum et occisi patris monet, qui ad ulciscendum adjutores sint, quumque liberorum trucidati esse docet, jus violatum et domus patriæ salutem restituere; quod ipsum a nullo nisi ab iis effici posset. Et quemadmodum in tota liberorum lamentatione, ubi Agamemnonis ejusque domus calamitas ante oculos ponitur ac vindictæ omnes rationes perpenduntur, et justitiam ulciscendi Oresti probare studet, quamquam in matrem esset agendum, et spem ei victoriæ consequendæ ostendit, quippe quod leges divinæ numquam irritæ fierent, ita, honore, quem decuit, lamentorum quum mortuus esset affectus et numina ultricia essent omnia invocata, manes denique occisi votis etiam nuncupatis ad subveniendum excitati, Orestem ad captum ulciscendi consilium peragendum cohortatur. Quærentique, qua re ducta et quid spectans inferias mortuo misisset mater, chorus et pia-

culum somnii, quo maxime horrendo usa esset, iis factum eam voluisse respondet et visum somnii, quale fuisset probe tenens, quippe qui præsens adfuisset, exponit. Quod Orestes quum comperisset omen accepit et pro documento habuit certissimo, patrem fusum velle sanguinem matris seseque eum esse, qui draconis instar id facere deberet. Ac sicut antea, inferiis perfectis, eo, quod sororem tam feliciter et opportune convenerat, comprobari existimavit, sacrificium a mortuo benigne acceptum precesque Electræ auditas fuisse, sic somnium Clytæmnestræ, lamentationibus rite factis et manibus mortui invocatis, sibi cognitum maximo esse duxit argumento, illa, quæ implorassent, audita ab inferis esse. Sic demum instructum non modo consilio Apollinis, qui Jovis erat interpres, sed patris etiam auctoritate, quæ honoribus inferiarum et lamentationum oblatis restituta erat, Aeschylus voluit Orestem tantam rem suscipere tamque immanem. Talem vim voluit Agamemnonem ad rem agendam habere. Ex quo intelligi potest, cur magna primi episodii pars in canticis versetur ac precibus et quam non vera sit eorum sententia, qui dicunt nihil fere in ea agi. Immo vero permultum hujus tragoediæ actionis hac parte continetur. An censemus nihil ad ultionem Agamemnonis id pertinuisse, quod, quam apud inferos auctoritatem habuisset, nisi tam turpi morte occubuisset, illa ei restituta est: qua auctoritate ita statim Agamemno usus est, ut, interfectoribus insciis, Orestes feliciter suis redderetur; nihil id actionis fuisse, quod talem sibi vindex conciliavit socium, quo secundum deos nemo potentior fuit? — Ad hanc autem actionem efficiendam quantum agentes adjuverit chorus ex iis, quæ disputata sunt, facillime videri potest. Ejus consilio Electra pro se et Oreste patri sacrificavit, non pro matre: quod si fecisset, iram, qua in matrem incensus pater erat, in se quoque convertisset; is sacrificium illud Electræ cantione funebri, lamentis et precibus referta, prosecutus est, quibus mortuo supplicavit, ut vindicem et domus liberatorem mitteret; is initium fecit juris restitutionem poscendi et male parricidis precandi, fratresque deinde hac in re cum lamentatione versantes adjuvit. Ad quas chori partes sustinendas aptissimæ fuerunt virgines Choëphororum. Amicissimæ erant Electræ, dominantibus autem propter injurias acceptas inimicissimæ; ingenuum habebant animum ac liberalem, quamquam servili conditione utebantur, quippe quæ nobili loco natæ et liberaliter educatæ essent[1]); domus Agamemnoniæ erant, cujus salus

[1]) Quod poetæ tragici ex liberis plerumque hominibus composuerunt choros, id quidem gravitati tragoediæ maxime consentaneum erat; non tam severe tamen id tenuerunt, ut, si argumentum fabulæ postularet, exceptionem non darent. Documento est hæc ipsa tragoedia, quæ ex Aeschyleis, quæ quidem exstent, sola est,

erat restituenda, cædemque Agamemnonis crudelissimam præsentes viderant et memoriam illius sancte colebant. Quo factum est, ut et vellent optime suadere Electræ Orestique et possent neque suum non putarent ad salutem domus Agamemnoniæ, quantum in se esset, conferre. Atque ultio Agamemnonis ut cura prorsus domestica erat, ita maxime conveniebat nullos nisi domesticos ad partem hujus rei agendæ vocari. Quamobrem eorum sententiæ mihi videntur assensione comprobandæ, qui dicunt virgines Choëphororum Trojanas fuisse captivas spectatorumque in conspectum jam priore in tragoedia venisse[1]). Convenit enim summopere concinnitati trilogiæ spectatores, quemadmodum e Choëphororum exodo chorum Eumenidum quodammodo cognitum habuerunt, ita primo aspectu hujus chori virgines, quæ essent, agnoscere, utque senes superioris fabulæ peccata Agamemnonis ipsi vide-

---

cujus chorus ex hominibus non liberis constat. In Sophoclis omnibus tragoediis chori sunt hominum liberorum. Quos non ideo tamen puto Sophoclem elegisse, quod alias personas tragoediæ universæ alienas existimaret, sed quia tales suum cujusque fabulæ argumentum postularet. Euripidearum tragoediarum multæ sunt, quarum chori ex servis constant, ut Hecuba, Troades, Helena, Iphigenia Taurica, Ion. In quibus tamen est observandum, choro Ionis excepto, omnes ex mulieribus constare, quæ ex liberis belli jure aut alio modo servæ factæ sint. De sexu et ætate earum personarum, quas agit chorus, si quis quæsiverit, reperiet, hanc etiam rem ex argumenti fabularnm natura esse explicandam, ita ut chorus ad eorum semper res accommodatus sit, quorum primæ sunt partes. Quamobrem si choros Euripidis longe plurimos esse femineos invenimus, ex ipsis rebus, in quibus fabulæ illius versantur, id expediendum esse arbitror, non ex eo, quod "mulieribus vel virginibus chori partes deferre amaret" Euripides, ut quidam dixerunt. (C. Friedrichs, chorus Euripid. p. 19, Uylenbroek, l. l. p. 37). Neque vero aliam esse puto causam, quamobrem feminæ illæ chororum plerumque juvenes sint.

[1]) Genelli (Das Theater zu Athen p. 176) ita disputat: Einige bepackte Mäuler gingen ohne Zweifel vor dem Könige her, auch einige Lastkarren mit Sachen, vorzüglich mit den auserlesenen Sklavinnen beladen, wobei es gewiss nicht ausser dem Geiste der Dichtung liegt, wenn schon hier den Zuschauern die fünfzen Masken zu dem Chore des folgenden Stücks vorgeführt worden wären - - - et p. 190 de choro Choëphororum: Nach unser bereits geäusserten Meinung wären die Masken dieses Chores den Zuschauern schon im vorigen Stücke vorgeführt worden; unstreitig aber bestand er aus gefangenen Troerinnen. "Unterjochte Weiber" redet Elektra sie an - - - Sie bekennt von ihnen, dass sie mit ihr den gleichen Hass hegen, welches eine vertrauliche Annäherung zu erkennen giebt, die nur auf Rechnung ihrer besseren Art gesetzt werden kann; dieses aber zeiget an, nicht nur dass sie einer innigeren Theilnahme fähig sind, sondern auch insbesondere, dass sie mit der Tochter des Hauses gleichen Grund zum Hasse haben. In beiden Hinsichten können es nicht wohl Andere als jene Troerinnen sein, die als stätige Mahnerinnen an die Gemordeten der Herrin so verhast wie die Tochter sein mussten. Cfr. R. H. Klausenii Oresteam sect. II. p. XXIV. Mülleri Aesch. Eum. p. 92 sqq. Uylenbroek. de choro Tr. Gr. p. 39.

rant, quorum maximam culpam, ut bellum Troicum posset gerere, sibi contraxerat, sic hujus tragoediæ chorum ex iis constare personis, quæ et quasi monumenta essent illius belli, quod tantum in fortuna domus Atridarum habuisset momenti, et præsentes facinori illi, a Clytæmnestra commisso, adfuissent, quod Oresti erat ulciscendum. Neque vero vaticinationi Cassandræ, qua se inultam non esse futuram prædixit, accommodatissimum non erat, quæ ejusdem, atque illa, erant civitatis captivitatisque sociæ, vindictæ eas Clytæmnestræ interesse et vindices consilio suo adjuvare. Quæ omnia quum ita sint, patet Aeschylum in choro Choëphororum constituendo quum totius trilogiæ rationem tum hujus fabulæ argumentum diligentissime respexisse neque immerito e choro totam hanc tragoediam nomen invenisse.

Jam somnium Clytæmnestræ utrum Aeschylus invenerit, an memoria traditum receperit et ad rationem fabulæ accommodaverit, haud alienum videtur cognoscere. Ac primum quidem somniis ut Græci plurimum tribuerunt, ita tragici sæpenumero poetæ, ut futura significarent, illos, quorum res erant agendæ, in fabularum initio ejusmodi usos finxerunt. Ut in Persis Aeschyli Atossa, mater Xerxis, nocte, antequam de clade Persarum apud Salamina allatum est, somnium habuisse fingitur, quo exterrita in bellum profectis magnopere metueret; ut hac in fabula Clytæmnestræ per quietem species draconis objecta est; ut in Electra Sophoclis Clytæmnestra alio usa somnio inducitur; ut in Hecuba Euripidis Hecuba dormiens cervam e sinu gremioque suo abstractam a lupo laniari vidit et manes Achillis, e tumulo evadentes, virginem sibi Trojanam muneri poscere, quibus visis somniorum et nex Polydori filii præsignificata est et immolatio Polyxenæ filiæ; ut Iphigenia Taurica, brevi ante quam fratrem Orestem convenit, de domo patria somniavit. Hoc vero somnium Clytæmnestræ descriptum jam videmus apud Stesichorum, quem poemate melico, quod Orestiam inscripsit, res ad domum Atridarum pertinentes celebravisse et paucissima quædam, quæ ex eo restant, ostendunt et scriptores veteres testantur[1]). Is autem utrum ipse somnium invenerit, an a Xantho,

[1]) Dispersa illius Orestiæ Stesichori fragmenta investigavit Hartungus et unum in locum collegit (Die Griech. Lyriker. V. p. 167). Athenæus (Lib. 12. sect. 6) narrat Stesichorum quum multa a Xantho, qui antiquior esset poeta melicus, scripta tum Orestiam, quam inscripsisset, immutavisse, et scholiastes Aristophanis ad Pac. v. 797 dicit: *ἔστι δὲ παρὰ τὰ Στησιχόρου ἐκ τῆς Ὀρεστείας*, verba aliquot afferens. Stesichori de somnio Clytæmnestræ locum nobis servavit Plutarchus, qui hæc (de sera num. vind. c. 10) scripta reliquit: *Τᾷ δὲ δράκων ἐδόκησε μολεῖν κάρα βεβροτωμένος ἄκρον· ἐκ δ' ἄρα τοῦ βασιλεὺς Πλεισθενίδας ἐφάνη*, ubi vox *Πλεισθενίδας* Orestem significat, non Agamemnonem, ut quidam docuerunt.

qui poeta etiam Orestiam scripsisse dicitur, assumpserit, an memoriam quandam secutus sit neque pro certo affirmari potest, deperditis et Xanthi et ceterorum illius ætatis scriptorum, qui has res tractarunt, scriptis omnibus, neque vero ad rem vehementer pertinet. Hoc tamen proxime ad verisimilitudinem accedere videtur, Aeschylum, quippe qui Stesichori carmina ignorare non posset, somnium illud ab eo mutuatum esse neque tamen ita, ut non suo id ingenio atque consilio accommodaverit. Immo vero quam admirationem Aeschylus atque terrorem, misericordiæ plenum, animis spectantium injicere tragoediis semper suis voluisse videtur[1]), ad eosdem animorum sensus permovendos accommodatissima est quum mentio ipsa illius in parodo facta, ut quo exterrita diis manibus piaculum oblatum Clytæmnestra vellet, tum enarratio ejus, lamentationibus in sepulcro terminatis, a choro instituta atque Orestis interpretatio. Neque vero tristitiæ illi non maxime convenit atque atrocitati, quibus insignes sunt omnes fere res, quæ hac in fabula ante oculos spectantium ponuntur. Atque ut ad dispositionem tragoediæ Aeschyli sunt nec tectæ neque implicatæ, sed omnium simplicissimæ, sic, somnio hoc quid pordenderetur, adeo manifestum erat, ut manu quasi prenderetur. At Clytæmnestra id sine interpretibus non perspexit. Quid? Si et unde esset hoc somnii prodigium et quid portenderet præclare ipsa intellexit, sed tamen, quorum erat[2]) ista quum interpre-

---

[1]) Aristophanes in Ranis Aeschylum, quamquam magna plerumque laude affecit, haud scio an leviter vituperatum voluerit, quod admirationem quandam auditorum et stuporem movere studeret. Facit eum *ἐριβρεμέταν* v. 814 a choro mystarum appellari et ab Euripide v. 837 *ἄνθρωπον ἀγριοποιόν*, ab eodemque hoc exagitari, quod mutas in scenam personas induxisset, ut Achillem *ἐν τοῖς Ἕκτορος λύτρους* et Nioben *ἐν τῇ Νιόβῃ*. Cfr. Vitam Aeschyli et Fragment. 162. De hoc Aeschyli studio, ab Aristophane reprehenso, Ed. Müllerus (Gesch. d. Theorie d. Kunst I. p. 153) ita disserit: Es ist aber die Summa des Tadels, der ihn trifft, wie mir scheint, die, dass er nur zu oft in eine staunende Verwunderung die Zuschauer zu versetzen sich zum Ziele setze, dass das Herbe und Strenge zu einseitig in seiner Poesie vorherrsche. J. Scherr (Gesch. d. Literatur p. 74) de Aeschylo judicium faciens, hæc præter cetera dicit: Seine Hauptmotiv ist der Schrecken, - - - - und er dehnt mit Vorliebe nicht nur Verhältnisse und Gestalten, sondern auch die Sprache in's Ungeheure, Giganteske aus; Haupt (Vorschule zum Stud. d. griech. Tragiker p. 13. In Tragödien des Aeschylos erkennen wir den kühnen gewaltigen Geist, der das Schreckliche, Ungeheure, Riesenhafte liebt und sucht; Lübker (Reallexicon p. 34): Seiner Dichtungsweise fehlt es nicht an Anmuth, aber es sind die furchtbaren Gratien, welche die Alten überhaupt an diesem Dichter rühmen; cfr. Hartungi Eurip. restit. V. I. p. 324. Bodei Gesch. d. dr. Kunst p. 246. Weberi Gesch. d. Hell. Volkes p. 528.

[2]) Sine dubio illi *κριταὶ ὀνειράτων* iidem fuerunt, qui in Agam. v. 409 *δόμων προφῆται* appellantur. Vide Nægelsb. Quæstion. Aesch. p. 21 et Aesch. Agam. p. 143.

tari tum procurationem facere, illi quid sentirent, scire voluit eosque in consilium adhibere, antequam eo descenderet, ut inferias marito mitteret a se occiso. Res facile invidiosissima hæc ei erat factu, quæ, cæde perpetrata, exsultans coram senibus Agamemnonis denuntiaverat [1]), necatum regem sine ullis sepulcrorum cærimoniis infossum iri; quæ hæc, ut minitata erat, ita perfecerat [2]); quæ, ut ad ignominiosam mortem quam maximus accederet cumulus neve manes interfecti ad ulciscendum quicquam valerent [3]), corpus mortuum detruncaverat; quæ denique nemini neque civi nec domestico, sepulcrum ut ullo honore afficeret, usque ad hoc tempus umquam concesserat. Opus profecto erat terribile quid atque evidens, quale visum illud quietis erat, quo terror adeo Clytæmnestræ injiceretur, ut animum induceret sacro piaculari iram inferorum placare. In qua tanta erat animi atrocitas, ut, parricidio facto, quum chorus senum exsilium ei et odium civium atque iras minitaretur, per numina ultricia juraret, se numquam, dum Aegisthum haberet amicum, metu affectum iri; tanta insolentia, ut, Aegisthum pro nihilo habere minas senum jubens, prædicaret se cum illo consociatam domum Atridarum pulchre et imperium administraturam; tanta sævitia, ut, quum comperisset, hospes quis esset, securim ad filium, si posset, trucidandum posceret. Atque Orestes, quum persuasissimum ei esset, somnium a patre esse missum seseque dracone significatum, non potuit non censere, hoc patrem prodigio evidentissime se exhortari, ut, omni in matrem pietate exuta, draconis naturam imitaretur. Cui adhortationi si pareret, non dubitavit, quin gratum admodum patri facturus esset ab eoque præsens auxilium accepturus. Hac opinione instructus domum intravit, hujus ominis memor matri, serpentem se peperisse et educasse querenti, affirmat, horribili illo somnii viso futura vere præsignificata fuisse; quod impium illa facinus admisisset, indigna contra pietatem ait ei esse patienda. Quæ proloquens eam, quasi omnem abjecisset humanitatem, ad mortem abstrahit. His expositis quoniam satis apparere puto, quam apte ad suum consilium Aeschylus accommodaverit somnium illud a Stesichoro sumptum, nonnulla mihi videntur de oraculo Apollinis esse dicenda, cujus auctoritate Orestes patris ulciscendi munus suscepit.

Quemadmodum in vita et publica et privata Græcorum plurimum oracula valuerunt, quippe ad quæ de dubiis semper rebus majoribus imprimisque ad Apollinem Pythium referretur et publice et privatim; sic poetæ tragici oraculorum sæpenumero mentionem faciunt, quibus homines ii, quos in scenam inducunt, ad hanc vel illam actionem sus-

[1]) Ag. 1553. [2]) Ch. v. 431. [3]) Ch. 439.

cipiendam permoverentur. Quid? quod non solum iis sæpe oraculis, quæ a deo quodam consulentibus edita essent, sed etiam prædictis quum vatum tum prodigiorum interpretum, homines illos, ut rem quandam gererent, commotos fingunt[1]). Horum licet multa ipsorum poetarum sint inventa, nonnulla certe repetenda sunt ab antiquissimis fabularum temporibus quibuscum ipsis erant sermone hominum tradita[2]). Nam quum Homerus, antiquissimus Græcorum poeta, tum alii

[1]) Agamemno ex vaticinatione Calchantis Iphigeniam filiam, ut Dianam placaret, immolavit. Orestes oraculi Delphici hortatu patris ulciscendi causa mortem matri infert, ejusdemque oraculi jussu ad Apollinem, ut expiaretur, supplex confugit. Atossa in Persis viso somnii permota inferias Dario affert, ut ab inferis excitatus sibi aperiret, quid in rebus desperatis esset faciendum. Itemque Clytæmnestra et in hac fabula Aeschylea et in Electra Sophoclis somniis permota fingitur, ut inferias manibus occisi mariti mitteret. In Oedipo Tyr. Sophoclis Iocaste est dicens, Laio prædictum fuisse oraculo fore, ut a filio suo necaretur, quo ductus puerum a partu recentem in prærupto jugo exposuisset, et Oedipus ipse, se Corinthum reliquisse, quod sibi, de origine sua consulenti, ab Apolline responsum esset fore, ut pater ab illo trucidaretur et ex matre in matrimonium ducta liberos susciperet. In eademque fabula Apollo, quod remedium pestilentiæ, qua Thebæ vexarentur, adhiberi oporteret ab Oedipo consultus, respondisse fingitur, ut e patria expellerent eum, qui Laium occidisset. Quem cupidius investigans Oedipus ipse illius culpæ reus comprehensus est. Oedipus Coloneus inducitur hoc dicens, Apollinem sibi respondisse fore, ut in lucu furiarum commodo eorum, quorum in fidem receptus esset, sine dolore exstingueretur, illorum autem perniciei, a quibus expulsus esset. In Trachiniis Sophocles oraculum a Jove Dodonæo facit editum Herculi, quo prænuntiaretur, si ad certum quoddam tempus vixisset, omnium ærumnarum finem consecuturum eum esse. In Philoctete autem Helenus, vates ille Trojanorum, Græcis cecinisse fingitur, Trojam nisi arcu ac sagittis Philoctetis, quibus eum Hercules donavisset, numquam captum iri; in Antigone Tiresias ille vates Creonti canens inducitur, summum ei, quod Polynici sepulturam denegavisset et ad mortem abduxisset Antigonen, malum domesticum perbrevi eventurum; in Ajace Calchas Teucro prædixit, Ajacem, si illo die tentorium reliquisset, mortem obiturum; in Electra et Sophoclis et Euripidis Orestes, antequam in patriam rediit, ut poenas a matre necis paternæ repeteret, Apollinem consulens fingitur. — Persæpe etiam Euripides, tametsi nec ipse quicquam fidei divinationi habuit, et agentes de ea dubitationem haud raro profiteri finxit, tamen fecit personas a se inductas et oraculis et aliis vaticinationibus permoveri, ut hanc vel illam actionem susciperent. Ut Orestis Apollinis jussu in Chersonesum Tauricam profectus est, simulacrum Dianæ inde surreptum in Græciam transferret; ut in Ione Trophonius primum Xutho, de liberis consulenti, oraculum edidit, eum, ad Apollinem de ea re referentem, non sine liberis discessurum esse, deinde Apollo, filium ejus esse illum, qui obviam ei ex æde exeunti primus venisset. Quo responso duce Xuthus Ionem filium suum invenit; ut in Iphigenia Aulidensi Calchantis augurio ductus Agamemno filiam suam immolavit, ut deos iratos placaret; ut in Phoenissis Tiresiæ vaticinatione motus Menoeceus, Creontis filius, a moenibus Thebarum se abjiciens, mortem pro patria oppetivit.

[2]) Quæ a poetis inventa sint, quæ memoria prodita, de hac re nihil jam cer-

scriptores, tragicis et vetustiores et ætate posteriores, permulti multa et varia commemorant oracula, quorum ex responsis gravissimas semper res gestas esse scribunt[1]). Ex quibus locis perspicere possumus

---

tum statuere possumus, deperditis omnibus fere antiquissimis literarum monumentis, quibus res fabulares quum ex ipsis reliquiis tum ex aliorum scriptorum testimoniis colligi potest complexos esse scriptores, ut poetas, quos vocant cyclicos et eos, qui primi soluta oratione usi in veteribus historiis fabulisque tradendis versati sunt, Pherecydem dico Atheniensem, Hecatæum Milesium, alios.

[1]) Homerus responsum quoddam Apollinis, Agamemnoni de bello Troico consulenti editum, commemorat in Od. 8. 80 et videtur etiam (Od. 16. 403) verbis illis *Διὸς μεγάλου θέμιστες* sortes oraculi designare. Nam etiam alias appellantur oracula Apollinis *θέμιστες*, ut apud Pind. Pyth. 4. 54, quemadmodum *θεμιστεύειν* nonnumquam "oraculum edere" significat, ut ap. Aelian. V. H. 3. 43. Hom. Hymn. ad Apoll. 253 et *θεμίστων μάντιες* "vates." Cfr. Schoemanni Aesch. Eum. p. 75. Idemque (Od. 14. 327) Ulixem facit dicentem, se Dodonam profectum esse, ut, quomodo domum reverteretur, consuleret. — Permultis locis multa etiam alia oracula Homerus exponit et eorum, qui ratione aut conjectura, observatis ac notatis signis, et eorum, qui concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu futura præsentirent; quibus oraculis commotos vel confidentes homines eos, quos induxit, hoc vel illo modo res facit gerentes, ut Od. 2. 146 sqq.; 15, 525—35; Il. 12. 200—30; 2. 353; 11. 53; Od. 19. 536—50; Il. 1. 93—100; 7, 44—53. Od. 17. 545—7; 20. 103—21. Pindarus nonnullorum mentionem facit, ut Pyth. 4. 23, 160; Isthm. 5. 50; plurimorum Herodotus, ut Lib. 1. 78, 158—60, 167; 3. 76, 153; 9. 120; 5. 43, 92 *β*; 7. 140—42; et Xenophon, ut Hist. Gr. 3. 2, 24; 4. 15; 4. 4, 5; 4. 7. 2—4; Anab. 3. 1, 5—8; 4. 3. 8; 6. 2, 13; 3. 1—2; Strab. 9. 404; Plutarch. Cim. 18, Timol. 12, 26, Cleom. 7; Pausan. 4. 311; 9, 736, 10, 834, alias. — De hac re Cicero (de Div. 1. 43) ita disputat: Quis vero non videt, in optima quaque republica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse? quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur prædictione divina? Omitto nostros - - externa videamus. Nam et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos *μάντεις* vocant, adhibuerunt, et Lacedæmonii regibus suis augurem assessorem dederunt - - iidemque de rebus majoribus semper aut Delphis oraculum aut ab Hammone aut a Dodona petebant; et Xenophon (Memorabil. 1, 1, 9) hæc Socratem facit disserentem: *ἃ δὲ μὴ δῆλα τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ πειρᾶσθαι διὰ μαντικῆς παρὰ τῶν θεῶν πυνθάνεσθαι· τοὺς θεοὺς γὰρ οἷς ἂν ὦσιν ἵλεῳ σημαίνειν.* Cfr. 4. 7. 10 *εἰ δέ τις μᾶλλον ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην σοφίαν ὠφελεῖσθαι βούλοιτο, συνεβούλευε μαντικῆς ἐπιμελεῖσθαι· τὸν γὰρ εἰδότα, δι᾽ ὧν οἱ θεοὶ τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν πραγμάτων σημαίνουσι, οὐδέποτε ἔρημον ἔφη γίγνεσθαι συμβουλῆς θεῶν.* Cfr. etiam Cyrop. 1. 6. 44 et Apol. 12. — Oraculum Delphicum quantum valuerit apud Græcos docet Welckerus Griech. Götterlehre II. p. 17, ita disputans: Im weltlichen, in den Streitigkeiten der Parteien, der Staaten untereinander, in Kriegsfragen, Verlegenheiten, Gefahren, Nothständen durch Hunger oder Krankheit, in der Leitung der Kolonien seit der ersten Hälfte des achten Jahrhunderts, der Sanctionirung von Verfassungen und Gesetzen, der Vorschrift ethischer und politischer Grundsätze, Abwendung göttlicher Strafen durch Reinigung und Sühne, Berathung der Staaten und der Einzelnen, war der Einfluss des Orakels eben so ausgedehnt und

et altistimis illa antiquitatis radicibus defixa esse et ad mores totius Græcorum gentis et instituta vehementissime pertinuisse. Hoc Apollinis oraculum, quo Orestes patrem ulcisci jussus est, utrum Aeschylus ipse finxerit, an aliunde assumpserit sive a memoria populari sive a scriptore aliquo difficillimum est ad dicendum, quippe quod nulla veterum exstent testimonia. Apud Homerum hoc quidem scriptum est, patriæ desiderio captum, octavo post patris necem anno Orestem Mycenas rediisse patremque ultum esse, sed quum ex universa Homeri de hac re oratione tum ex eo, quod Athenis, non e Phocide, domum revertitur idque imprimis ut Aegisthum occideret, qui necis Agamemnoniæ auctor fuisse dicitur, facile videre possumus, Aeschylum non ab Homero, sed aliunde ea sumpsisse, quæ de ultione Oresti suscipienda proposuerit. Verisimillimum est hac in re, ut in aliis multis, eum lyricos illos poetas secutum esse, qui res Orestis tractarunt, Xanthum dico et Stesichorum. Horum enim ætate fabula Orestia videtur, quod quidem e paucissimis Stesichori reliquiis colligi possit, aliquantum mutata esse opinionibus et moribus illorum, qui tum fuerunt, hominum convenienter[1]), ita ut Clytæmnestra, non Aegisthus, cædem Agamem-

mannigfaltig als im Geistlichen. Cfr. E. Curtii Griech. Geschichte I. p. 383—461 et C. F. Hermanni d. griech. Antiquit. II. §§. 5, 37, 40, 41. Apud Nægelsbachium (Nachhom. Theologie p. 183) hoc scriptum videmus: In Absicht auf die Wirksamkeit des Orakels steht vor Allen fest, dass es Jahrhunderte lang von der dorischen Wanderung an bis auf Philipps Zeiten des unbedingtesten Vertrauens genoss. Cfr. præterea p. 162 sqq. Götteus (das delphische Orakel p. 68) dicit: Kein wichtiges, kein glückliches Ereigniss ging vor sich, ohne dass der Delphische Tempel bedacht wurde; kein Unternehmen von Bedeutung konnte von Privatpersonen wie von Staaten begonnen werden, ohne den Rath des Gottes. Cfr. Cic. Div. 1. 19, 43, 54. Justin. 8. 2. Athenienses et Lacedæmonii et aliæ etiam civitates videntur certos quosdam habuisse magistratus, quorum erat et prodigia interpretari et ad Apollinem de rebus majoribus quum divinis tum humanis publice referre. Ex hoc genere fuerunt Athenis *Ἐξηγηταί*, Lacedæmone *Πύθιοι*, Mantineæ et in Aegina *Θεωροί*. Cfr. Schoeman. Griech. Alterth. I. p. 148, 431; II. 274. Plato in Legibus p. 759 præcipit, ut *ἐξηγηταί* creentur, qui ab Apolline oracula de rebus divinis publice petant. Idemque fere dicit in Republ. p. 427, ubi, postquam Apollinem Delphicum auctorem prædicavit gravissimarum et pulcherrimarum legum, hæc scribit: *οὗτος γὰρ δήπου ὁ θεὸς περὶ τὰ τοιαῦτα πᾶσιν ἀνθρώποις πάτριος ἐξηγητὴς ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ καθήμενος ἐξηγεῖται.* Euripid. (Andromach. 1162) Apollinem apellat *τὸν τῶν δικαίων πᾶσιν ἀνθρώποις κριτήν*, Liv. (38. 48) Delphos quondam commune humani generis oraculum.

[1]) De mutatione fabularum apud Græcos ita Nitzsch. (die Sagenpoesie der Griechen p. 430) disputat: die Sage ist, wie sie überhaupt als die Trägerin und Sprecherin des Glaubens erscheint, auch immer durch diesen sich weiter entwickelnden und wandelnden Glauben im folgenden Zeitalter eine andere; et de fabula Orestia (l. l. p. 464): Diese Idee war aber selbst nicht episch, noch dem Zeitalter gemäss,

nonis perfecisse et Orestes, qui poenis a matre repetendis non tam præclare ac pie, quam scelerate atque impie fecisse existimaretur, a furiis per multas terras agitatus esse perhiberetur. Quam fabulam Stesichorus ita sermone hominum conformatam sequens et Clytæmnestram paulo ante reditum Orestis facit terribili somnio exterreri et Orestem arcu sagittisque, quibus persequentes furias defenderet, donari fingit ab Apolline[1]). A quo præsidio contra furias lato minime abhorruit, Orestem Apollinis hortatu patris ulciscendi causa mortem matri attulisse. Neque vero id hanc rem non confirmat, quod in Phocide, in vicinia Delphorum, quod præcipuum domicilium erat Apollinis, Orestes educatus esse et Pyladem, cujus nominis cognatio cum nomine *Πυλαίας*[2]) perspicua est, amicissimum habuisse dicitur. Hunc Orestis familiarem, qui quasi quidam dei Pythii vicarius fuit, nec umquam ab amici latere discessit, nisi si deus ipse prodiit, Homerus nusquam commemorat et Agamemnonem apud inferos ab Ulixe facit quærentem[3]), ubinam filius esset, num Orchomeni, an Pyli, an Lacedæmone. Agias Troezenius, qui in poemate, quod *Νόστοι* inscribitur, reditum Græcorum cecinit, primus, quod quidem constet, auctor est Orestem, domum revertentem, Pylade comitatum fuisse[4]). Nulla tamen apud eum fit mentio oraculi, nulla Orestis nec vexationis a furiis nec patrocinii contra eas ab Apolline suscepti; ut probabile videatur, Orestem apud Agiam, ut apud Homerum, non Apollinis jussu, sed sanctissimo illo, qui tum maxime viguit, ulciscendi more permotum necem auctoribus cædis paternæ intulisse, idque ei vel summæ fuisse laudi[6]). Nec mirum. Illis enim temporibus, non magis, quam Homeri ætate puta-

---

sondern lyrisch oder tragisch. Sie ward nach der Geschichte des Glaubens von den Wirkungen der Strafgeister selbst erst im Volksbewustsein ruchbar, als die Lyriker von vielem Wandel des Glaubens und in Folge dessen der Sagen in ihren Kunstpoesien Zeugniss gaben. — Cfr. Nitzschii Beiträge z. Gesch. d. ep. Poesie p. 197. et Beckeri Abhandl. üb. die Orestessage der Griechen bis zu den Tragikern p. 11 sqq.

[1]) Vide Plutarch. d. sera num. vind. c. 10; Eurip. Orest. 268 et schol. ad hunc locum. Welcker (d. Episch. Cyclus II. p. 287).

[2]) Vocabulo *Πυλαίας* nonnumquam significari conventum Amphictyonum Delphicum, non modo Pylaicum, docet C. F. Hermannus (Griech. Staatsalterth. p. 56) et suburbium fuisse Delphorum, cui hoc nomen erat. Plutarch. Pyth. Or. 29. G. Götte. d. delph. Orakel p. 41. C. O. Müller. Eumenid. p. 131.

[3]) Od. 11. 459. [4]) Cfr. Welcker. d. Ep. Cycl. p. 281.

[6]) Vide Od. 1. 298, 3. 197; Il. 14. 484. "Homer kennt nur den ruhmvollen Orestes, der seines Vaters Mord gerächt hat, und die Excerpte aus Proclos lassen die Nosten ebenfalls nach der vollbrachten That des Orestes mit Menelaus Heimkehr schliessen." Overbeck (Gallerie heroischer Bildw. I. 677).

bantur furiæ sceleratos jam hac in vita persequi[1]). Accedit, quod uti apud Homerum, ita apud Agiam Aegisthus, non Clytæmnestra, auctor cædis Agamemnonis fuisse fingitur. Hæc omnia reputantibus verisimillimum nobis videtur, ut ante diximus, Aeschylum in oraculo hoc, de quo agitur, auctorem habuisse Stesichorum, quamquam quidem certis id argumentis confirmari non potest. — Quod oraculum ideo est maxime memorabile, quia perspicue ostendit, quam grave fuerit antiquissimis temporibus ac sanctum unicuique officium poenas justas repetere ab eo, qui propinquo ejus necem intulisset, quippe quum liberorum esse haberetur, parentes etiam in parentibus, si res ita tulisset, vindicare; ostendit tempus fuisse, quo ille immanis mos in tutela Apollinis esset. Neque vero hæc res nobis admirationem injicere debet considerantibus jus familiare illis temporibus plus valuisse quam publicum, propterea quod nulladum esset respublica constituta, cujus leges et magistratus vitam civium tuerentur. Gentis tum erat suos cujusque defendere, non civitatis, neque hanc violasse is putabatur, qui hominis alicujus cædem fecisset, sed gentem eam, cujus ille esset, quem occidisset. Exempla apud Homerum sunt multa[2]). Quæret fortasse quispiam, quomodo Apollinem decuerit, qui deus mansuetudinem semper morum juvaret atque humanitatem[3]), fero illi mori favere. Respondeo nihil aliud eum umquam fecisse, nisi Jovis decreta hominibus aperuisse[4]). Quamdiu igitur manebat lex illa divinitus constituta: *τὸν ἔρξαντα παθεῖν*, (mansura autem putabatur[5]), donec Juppiter regnaret,) tamdiu Apollo, veridicus ille interpres[6]) voluntatis divinæ, facere non potuit, quin homines eam colere juberet. Quod tamen non prohibuit, quominus, progrediente tempore, mansuefactis atque excultis magis hominum vita et moribus, auctoritate sua instituta civitatum ac

---

[1]) "Die Erinys ist *ἠεροφοῖτις*, im Dunkeln schreitend d. h. entweder die unversehens nahende oder wohl eher die *κατ' ἠερόεντα κέλευθα* (Od. v. 64), in der Unterwelt wandelnde. Letztere ist ihr Aufenthaltsort, und wir erfahren nirgends bestimmt, dass sie denselben verlassen." Nægelsbach. die Hom. Theologie p. 263. Cfr. Nitzsch. Beiträge z. Gesch. d. ep. Poesie p. 292.

[2]) Od. 13. 259; 22. 30; 23. 118; 24. 433. Il. 2. 662; 13. 695; 15. 432; 16. 573. Etiam apud alios populos, ubi mores nondum exculti erant, hic valebat mos, ut apud Judæos, Germanos, Suecos, Arabes, apud quos etiamnunc viget. Cfr. Weberi Allgem. Weltgesch. I. p. 696. IV. 113. V. p. 7. Palmblad. Palæstin. p. 139. 4 Mos. 35. 9—34.

[3]) Ephorus apud Strab. 9. 3. 11 de Apolline dicit: *εἰς ἡμερότητα προὐκαλεῖτο καὶ ἐσωφρόνιζε, τοῖς μὲν χρηστηριάζων καὶ τὰ μὲν προστάττων τὰ δ' ἀπαγορεύων, τοὺς δ' οὐδ' ὅλως προσιέμενος.* Götte (d. delph. Orakel pp. 153, 186, 189, 198, 262).

[4]) *Οὐπώποτ' εἶπον μαντικοῖσιν ἐν θρόνοις, οὐκ ἀνδρός, οὐ γυναικός, οὐ πόλεως πέρι, ὃ μὴ κελεύσαι Ζεὺς Ὀλυμπίων πατήρ.* Eum. 616—19. Cfr. vv. 19, 33. Strab. 9. 3. 6. [5]) Ag. 1563. [6]) Pind. Pyth. 3. 29; 9. 42.

leges confirmaret, quibus sanciretur, ut, cujus antea ipsius fuisset cædem propinqui sui persequi, is officium suum ulciscendi ita expleret, ut civitati poenas a cædis auctore, causa cognita, repetendas traderet[1]): immo vero civitatibus suasit, ut leges sibi per homines sapientes constituerent. Quod factum esse videmus in legibus et Lacedæmoniorum a Lycurgo conditis et Locrensium a Zaleuco et Catinensium a Charonda et Atheniensium a Dracone Soloneque et Clisthene. Ita effecit, ut et a feritate homines ad justitiam atque mansuetudinem traducerentur neque lex illa divina negligeretur: quæ lex, quum civitas aut nulla esset aut singulorum injurias ad se nihil pertinere putaret, aliter servari non poterat, quam ut suum quisque suorumque jus defenderet ac violatum vindicaret. Quæ juris ratio, tametsi manca erat atque vitiosa, melior tamen fuisse negari non potest, quam si nihil omnino sanctum esset, quo homines vim alius alii inferre prohiberentur. Hac enim re sine dubio permulti improbi a vi aliis inferenda avocabantur et alienam vitam non minoris, quam suam, facere discebant. Facinus igitur capitale admisisse habebatur, qui alterum vita privasset, et optimo jure interfectus interfectoris vitam reposcere. Quod jus, quoniam mortuus tueri ipse non potuit, proximi cujusque erat, ut cetera hereditate relicta, accipere et vindicare. Hoc si ille negligeret, non modo participem se cædis faciebat, quippe quam non ulciscendo sibi probatam quodammodo profiteretur, sed etiam impietatis culpam suscipiebat, quæ nihilo leviore poena habebatur digna. Odium ergo atque iram Jovis, omnis juris et auctoris et patroni, omniumque deorum ultorum invidiam in se convertebat, qui eum pro sua quisque natura omnibus et animi et corporis cruciatibus insectantes conficerent[3]). Hæc adeo Oresti even-

---

[1]) Plat. Leg. 9. 865.

[2]) Cfr. Plutarchi Lycurg. 5. 6. 13, 26, 29; Herodot. 1. 65. Tyrtæi *Εὐνομία* apud Diodor. excerpt. vat. 3; Xenoph. Reip. Lacedæm. 8. 5; Cic. de Div. 1. 43; Curtii griech. Geschichte I. p. 455—6; Weberi Gesch. d. Hell. Volks p. 197; Plutarch. Sol. 14, 17; Demosth. contr Aristocr. 22; Aelian. V. H. 8. 10; Herod. 5. 66; Pausan. 10. 10. Cfr. Fr. v. Raumeri Vorlesungen üb. d. alte Gesch. p. 288. Schoemanni Griech. Alterthüm. II. p. 41. et d. att. Process p. 49.

[3]) Filia Jovis justitia appellatur ab Hesiodo Th. 902. Op. 254, ab Aeschylo Ch. 949 et Sept. c. Th. 662; Juppiter autem *δικηφόρος* Ag. 526, *κολαστὴς τῶν ὑπερκόπων ἄγαν φρονημάτων*, *εὔθυνος βαρύς* Pers. 826, *ὁμόγνιος* i. e. juris consanguinitatis custos, Eur. Andr. 921. Aristoph. Ran. 750. Plat. Legg. 9. 881, *γενέθλιος* Pind. Ol. 8. 16. *νεμέτωρ* Sept. c. Th. 485. Cfr. Hesiod. Op. 331—2. Pind. Isth. 4. 52. Ceteri, qui improbos persequuntur, dii sunt Orcus, Mercurius inferus, Ate, Parcæ, Diræ, Alastor, Furiæ, qui etiam uno nomine *οἱ κάτω θεοί* appellantur Soph. El. 292. Cfr. Lehrs. Populäre Aufsätze aus d. Alterthum p. 229. Soph. Oedip. Tyr. 472. Aesch. Eum. 272. Peters. Theologumena Soph. p. 23—28, 52. G. Dronke. l. l. p. 37.

tura, Apollo prædixisse fingitur, si poenas cædis paternæ justas ab interfectoribus non repeteret. Deos illos inferos pestiferis eum morbis affecturos, nocturnis terroribus, insania etiam mentis; neque consuetudine hominum uti nec in sacris partem habere ei liciturum; a patria exagitatum nullius domo eum usquam, omnibus exsecratum, receptum iri. Sic affectum summa in inopia eum, nullo amico, misere periturum. Ex quo Apollinis dicto apparet fore, ut Orestes, si vindictam patris negligeret, non minus nefarium scelus, quam si parricidium fecisset, in se admisisse judicaretur[1]). Quæ quum ita essent, quid mirum, si apud animum statuit Orestes, re diligenter considerata, grave illud ulciscendi munus suscipere? Huc adde, quod Oresti erat ejectio sua et spoliatio patrii regni omniumque fortunarum ulciscenda neque injuria, quam patriæ atque civibus, rege interfecto regnoque assumpto, intulerant parricidæ, inulta dimittenda. Pietati enim erga patriam plurimum veteres semper tribuebant neque eum, qui hoc officium desereret, abjectissimum non ducebant gravissimaque poena dignissimum[2]). Cujus rei præclarissima sunt documenta apud omnes fere eorum non modo solutæ, sed etiam numeris vinctæ orationis, scriptores inde ab Homero ad ultima usque tempora libertatis. Neque vero apud antiquos cuiquam crimini umquam vertebatur injuriam sibi illatam persequi, sed maximis in virtutibus ponebatur, ut amicos beneficiis, ita maleficiis inimicos afficere[3]).

---

[1]) De Lai interfectore Soph. Oed. T. 236 hæc Oedipum facit sancientem: *τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον, ὅστις ἐστί, γῆς τῆσδ', ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω, μήτ' εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινά, μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβος νέμειν.* Apud Demosth. c. Lept. §. 158 scriptum est: *Ὁ Δράκων φοβερὸν κατασκευάζων καὶ δεινὸν τό τινα αὐτόχειρα ἄλλον ἄλλου γίγνεσθαι, καὶ γράφων χέρνιβος εἴργεσθαι τὸν ἀνδροφόνον, σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς, πάντα τἆλλα διελθὼν οἷς μάλιστ' ἄν τινας ᾤετο ἐπισχεῖν τοῦ τοιοῦτόν τι ποιεῖν, ὅμως οὐκ ἀφείλετο τὴν τοῦ δικαίου τάξιν* - - -. Cfr. Eum. 316—45.

[2]) Od. 9. 34: *οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων γίγνεται, εἴ περ καί τις ἀπόπροθι πίονα οἶκον γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων.* Il. 12. 243. *εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.* Cfr. Aristot. Rhet. 2. 21, Cic. ad Attic. 2. 3. de Senect. 4. 11. Tyrt. 1. 6; 2. 1; 4. 23—42. Thucyd. 2. 43. Soph. Antig. 182. Nitzsch. Sagenpoesie d. Griech. p. 432.

[3]) Pro justitia Græcos, ut omnem antiquitatem, semper habuisse, suum cuique tribuere, bonum amico, inimico malum, multis locis scriptores profitentur, ut Hesiod. Op. 353 sqq. 709 sqq. Archil. fr. 88. Sol. 14. 5. Thogn. 337, 363, 1089. Pind. Pyth, 2. 84. Aesch. Prom. 1041. Ch. 309. Soph. Aj. 79, Ant. 643. Oedip. C. 230, 270—1, 953. Eur. Andr. 438, Ion. 1045. Xenoph. Agesil. 11. 12, Memorab. 2. 6. 35 *ἔγνωκας ἀνδρὸς ἀρετὴν εἶναι νικᾶν τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιοῦντα, τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς.* Anab. 1. 9. 11. Isocr. ad. Demonic. §. 26. Cfr. Welckeri kleine Schrift. II. p. 432 sqq. Socrates primus docuit nefas esse malefacta malefactis referre, eaque doctrina Platoni probata est, ut ex compluribus illius dialogis patet.

Quamobrem nihil is, qui hujus ætatis disciplina ac moribus est institutus, eo offendi debet, quod Orestes satis aperte indicat se non solum mandato Apollinis et pietate in patrem commotum, sed etiam injuriis sibi ipsi illatis lacessitum supplicium de interfectoribus patris sumere velle. His injuriis in exsilium erat ejectus, domo patria et bonis et regno privatus. Uniuscujusque autem erat, domum suam, quantum potuit, conservare, domusque interitus in summis referebatur malis, quippe quum sua quæque haberet sacra a majoribus tradita, quæ alia diis essent facienda, alia heroibus, alia manibus majorum. Hoc quoque erat posterorum officium prospicere, ne bona patria deminuerentur, utpote in quibus positum esset, satisne majorum dignitate digna fierent sacrificia. Hujus rei memores et Electra et Orestes multis precibus quum deos tum manes patris oraverunt, ut domum patriam restituerent neve genus Pelopidarum interire sinerent. Quorum votorum si compotes fuissent, honoribus sacrorum se, qua par esset, munificentia et Jovem et mortuum patrem affecturos promiserunt. Regia autem domo nulli nisi regales habebantur digni honores, qui quales fuerint, ex Homero quis est quin cognitum habeat? Orestes igitur, non ideo, quod omnibus copiis circumfluere et in omnium rerum abundantia vivere cuperet neque vero regnandi cupidine captus, bona patria recuperare voluit et imperii Argivorum potiri, sed quia persuasum habuit, non leve id esse suum officium, in pristinum statum domum regiam restituere Argivorumque, qui crudeli tum imperio tenerentur, regnum capessere. Vidit probissime jus, ab interfectoribus læsum, restitutum non esse, nisi domus Atridarum salus refecta esset. Sic existimans dixit rem sibi peragendam esse, etiamsi nihil oraculo Apollinis confideret. De qua sententia ne eo quidem deductus est, quod ex auctoribus nefarii illius sceleris alter erat mater ipsius, de qua vindicta erat sumenda. Nihil matris habuit illa nisi nomen, quippe quæ liberorum suorum alterum domo ejecisset, alteram servæ loco haberet, postquam patrem eorum, maritum suum, crudelissima morte ac sepulcro inhonestissimo affecit, adjuvante adultero, quocum nefario juncta conjugio vivebat. Omne pietatis vinculum, quo cum ea liberi conjuncti esse debuerant, ipsa impie diruperat. His omnibus rebus consideratis Orestes coram amicis prædicavit se de matre, postquam omnem in eam pietatem ita ipse exuisset, ut illa eam in suos abjecisset, diis adjuvantibus meritum supplicium sumpturum. Quo facto deinde velle se, si ita res ferret, æquo animo

---

Vide Crit. c. 10 et quæ in prooemio ed. suæ Chr. Cron scripsit p. 38. E. v. Lasaulx Sokrates Leben, Lehre und Tod p. 105. Hæc vero Srcratis de justitia opinio minime Græcorum omnium communis umquam facta est, sed vetus illa usque ad eum viguit finem, dum religio Christiana percrebruit.

mori. Neque vero dubitavit, quin rei institutæ exitum dii præbituri essent prosperrimum, quam ad fiduciam quum certa, quam de justitia causæ suæ habuit, animi persuasione, tum maxime jussu Apollinis perductus erat. Nihil enim tantum apud Orestem valuisse, quantum auctoritatem Apollinis, quum ex iis, quæ ad tumulum de oraculo ejus dixit[1]), perspicuum est, tum imprimis quod, nisi de ejus voluntate a Pylade esset admonitus, vix a se impetrasset, ut matrem, misericordiam implorantem, interficeret, et post cædem factam semper tum apud suos tum apud Minervam et judicium Areopagitarum præcipuum facinoris auctorem professus est Apollinem[2]).

Ac non modo ut interficeret parricidas auctor ei fuit Apollo, sed etiam quomodo fieri oporteret. Jusserat illos eodem modo, quo ipsi Agamemnonem necassent, interimi, id est per dolum et insidias[3]). Cujus præcepti memor Orestes amicorum suas cuique partes ita dedit, ut Electra soror juberetur domum ingressa et consilia dissimulans omnia, res intus quam accommodatissimas rei bene gerendæ reddere, chorus modo linguis favere modo opportuna loqui, ipse autem dixit se cum Pylade, habitu peregrini assumpto, accessurum ad regiam et introitum petiturum. Quo impetrato Aegisthum primo aspectu celeri trucidaturum ferro, matris deinde sanguinem furiis potandum daturum.

His rebus peractis postquam Orestes cum Pylade et Electra discesserunt, chorus, solus conspectui auditorum relictus, primum instituit stasimum, in quo hominum malitiam conqueritur imprimisque nefaria mulierum libidinibus abreptarum facinora, quibuscum nihil in rerum natura ne formidolosissimum quidem comparari possit. Quam querimoniam si quis iniquam putet, eum revocat ad intuenda impietatis, quæ profert, exempla, primum matris in filium, deinde filiæ in patrem, denique uxorum in maritos. Harum autem maleficia ut nulla fuissent impunita, ita immane in Agamemnonem commissum scelus brevi a filio gravissime vindicatum iri speravit, adjuvantibus diis ultoribus, qui nullam umquam juris violationem inultam dimitterent. Videmus ex hoc quoque chori carmine, ut ex omnibus, quæ antea ab eo dicta erant, et interfectores Agamemnonis quam magnopere detestetur et optimo jure Orestem ab illis poenas facinoris expetere quam persuasum habeat. Videmus, quantum interesse Aeschylus putaverit, facinus illud, cujus poenas filium repetentem induceret, quam pessimum spectantibus et maxime impium proponi, ne quid tætrum agi videretur[4]), sed quod

[1]) Choëph. 269, 297, 558. [2]) Ch. 1029. Eum. 465, 594. [3]) Ch. 274, 556.
[4]) Hoc vetat Aristoteles, apud quem (Art. poet. c. 13) hoc scriptum est: δῆλον ὅτι οὐ τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν·

metum ac misericordiam haberet. Comparavit scelus Clytæmnestræ cum detestabili illo mulierum Lemniarum flagitio[1]), quo Græci nihil majus cogitare potuerunt, ne auditorum nemini persuasum esset, dignissimam eam, quæ supplicio afficeretur quam gravissimo, a diis existimari, quorum odium sibi implacabile non potuisset culpa sua non contrahere, eosque id effecturos, ut Orestes a pugna illa, quam, justissima causa impulsus, initurus esset, victor discederet. Itaque et cum iis, quæ modo acta erant et cum illis, quæ mox agentur, quam aptissime ea cohærent, quæ hoc carmine chorus celebrat. Et vero debet ratio uniuscujusque stasimi ita esse comparata[2]). Fiebat, dum a choro id canebatur, intermissio ab actione atque interspiratio quasi quædam non agentibus ipsis, quippe qui extra scenam tum rem gererent, sed choro et spectantibus, qui, nisi per nuntios certiores facti, ignorarent, quid interea ageretur. Hac actionis in scena intermissione ita chorus usus est, ut res, quæ antea gesta erant et quas gestum iri arbitrabatur, causæque quales essent, quibus agentes impellerentur, cum animo suo consideraret ac, de iis quid sentiret, pronuntiaret. Quod quum faceret, ad memoriam sæpenumero rerum, tempore quidem remotissimarum, sed natura æqualium, animum revocavit, ut cum exemplis inde

---

οὐ γὰρ φοβερὸν, οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν. Cfr. G. E. Lessingii sämmtliche Schriften, ed. Lachmanni, V. VII. p. 343 sqq.

[1]) De quo Herodotus (L. 6. 138) ait: *νενόμισται ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα τὰ σχέτλια ἔργα πάντα Λήμνια καλέεσθαι.* Cfr. Pind. Pyth. 4. 252.

[2]) Stasimum quid sit, docent et scholiastæ quum Aristophanis ad Ran. v. 1281: *στάσιμον μέλος, ὃ ᾄδουσι ἱστάμενοι οἱ χορευταί* tum Euripidis ad Phoeniss. v. 202: *ὅταν ὁ χορὸς μετὰ τὴν πάροδον λέγῃ τι μέλος ἀνῆκον τῇ ὑποθέσει ἀκίνητος μένων, στάσιμον καλεῖται τὸ ᾆσμα* et Suidas ad voc. *στάσιμον* hæc scribens: *στάσιμόν ἐστιν εἶδος μέλους, ὅπερ ἱστάμενοι ᾖδον οἱ χορευταί.* Quæ quomodo interpretari debeamus, docet Hermannus (Epit. doctr. metr. p. 281) his usus verbis: "Neque stasimum ab eo, quod immotus stet chorus, dictum est, sed quod a choro non accedente primum et ordines explicante, sed jam tenente stationes suas canatur." Cfr. præterea quæ doctissimus idem vir in Aristot. de art. poet. Libr. p. 269 disserit. — F. Aschersonins (Umrisse der Gliederung des griech. Drama) *μέλος στάσιμον* idem esse dicit ac *μέλος στασίμου χοροῦ* i. e. "den Vortrag eines schon vorher d. h. während eines epischen Theiles des Drama, anwesenden Chores, der auch nach dem Vortrag anwesend bleibt", et testimoniis prolatis demonstrat vocabulum *στάσιμον* ita et accipi posse et a multis scriptoribus esse acceptum ut aut latius patens significet "an seinem Orte bleibend, d. h. weder hereintretend noch hinausgehend", aut angustius "unbeweglich stehen bleibend." Ex quibus verisimillimam hanc conjecturam facit, *μέλος στάσιμον*, si priore vocis significatione utamur, non modo *στάσιμον*, quod angustius valet, verum etiam *ἐμβατήριον* et *ὑπορχηματικόν* complecti, sin posteriore, *στάσιμον*, quod proprie vereque dicitur. Cfr. Th. Kockii diss. üb. die Parodos d. gr. Trag. p. 10; Klanderi diss. de choro Sophocleo p. 34, 43; Friederichs. (chorus Euripideus p. 6); Bode. l. l. p. 198.

sumptis res actas compararet iisque consilia ac sensa sua probaret audientibus. Sæpissime etiam cogitationem ad leges divinas intuendas et ad sententias universas intendit, ut res humanas ac singulas ad divinas atque universas referens exigeret. Utque omnis Græcorum tragoedia inde ab initio ad ultima usque sua tempora ad religionem pertinuit et in prædicanda versata est deorum in homines potestate ac justitia, quæ in eo cerneretur, quod ii semper, qui, vel temeritate vel superbia elati, officiis sanctissimis evertendis numen divinum contemnerent, si non præsenti, at certo supplicio afficerentur, ita stasimis suis, a quibus tota tragoedia profecta erat, has deorum virtutes chorus celebravit eorumque majestatem ac sanctitatem exornavit magnificentissime[1]). Atque in his quæ cecinit, ea, tametsi plus lyrici, quam dramatici poematis habebant, numquam tamen neque apud Aeschylum nec apud Sophoclem ab argumento tragoediæ aliena fuerunt[2]) et haud scio an et sententiarum dignitate et magnificentia orationis omnium, quæ Græci umquam scripserunt, carminum præstantissima sint habenda. Ex quibus omnibus rebus factum est, ut his carminibus chorus in rebus propositis considerandis animos spectantium retineret easque, quamquam non ipse, quippe qui modo parum videret modo partium studio captus esset, sem-

[1]) Constat tragoediam a dithyrambo, quod carmen erat a choro cantatum in honorem Bacchi, originem traxisse neque umquam nisi sollemnibus Bacchanaliorum actam esse. Hinc factum est, ut tragoedia initio non tam in actione imitanda posita esset, quam ex carminibus constaret, quibus res ab aliquo fortiter gestæ celebrarentur, et lyricam magis, quam dramaticam naturam haberet. Carmina igitur chori, quorum primaria erant stasima, pars tragoediæ principalis fuit iisque ceteræ, quibus actio ipsa perfectæ tragoediæ continebatur, quasi digressiones quædam interjectæ sunt. His carminibus optimæ ætatis tragici, si non principatum dederunt, at certe semper tribuerunt plurimum; hæc voluerunt summa quum rerum gravitate tum verborum elegantia numerorumque varietate insignia esse. Cfr. Aristot. art. poet. c. 4. §. 14 et p. 107. Herod. 5. 67. Nægelsbachii Aeschyl. Agamemn. p. 3, 14, 18. Welckeri Griech. Götterl. II. p. 86 et Griech. Tragoed. p. 1293. C. O. Mülleri Aeschyl. Eumenid. p. 191. J. Fechneri diss. üb. die sittlich-relig. Weltanschauung des Sophocles p. 10. — J. Frei. (üb. d. gr. Tragödie p. 11), postquam de prima tragoedia in rebus Bacchiis versante disseruit, ita pergit: die Tragödien wurden fortwährend in dem Heiligthum des Dionysos aufgeführt und nur an den Festen dieses Gottes; das Costüm des Chores war eine Modification des dionysischen Priestergewandes; fortwährend waren mit den tragischen Wettkämpfen dionysische Opfer verbunden; kurtz, das Drama stand fortwährend unter der Weihe dieses Gottes. Auch war der Inhalt der Tragödie, wenn auch nicht immer dionysisch, doch immer ein heiliger; denn immer waren es die tiefsten, die heiligsten Wahrheiten, welche dem Volke durch das Mittel der Tragischen Kunst zu lebendiger Anschauung gebracht wurden.

[2]) Aristoteles (art. poet. c. 18) eos reprehendit poetas, qui Agathone auctore carmina chorica interponerent nullo prorsus vinculo cum argumento conjuncta.

per recte existimavit, in bono tamen lumine quasi collocaret et auditores ad eas rectis judiciis videndas non paululum adjuvaret. Verum ad eos, qui de scena decesserant, revertamur.

Electra postquam domum, ut ad præscriptum fratris ageret, ingressa est, non jam spectantibus in conspectum venit[1]). Orestes autem, ubi primum carmen chori ad finem perductum fuit, eo modo, quo prædixerat, instructus et Pylade cum pedisequis nonnullis comitatus, in scenam a peregre rediens, portam regiæ adiit et, foribus pulsatis apertisque tandem a janitore, petivit, ut quis exiret vel mulier domina vel, quod melius esset, vir ad nuntium, quem afferret, accipiendum. Causam pudoris interposuit, cur virum potius, quam mulierem convenire vellet; in animo vero habuit, ut in extremo primo episodio professus erat, Aegisthum, si convenisset, statim interficere. Verba sua ita fecisse fingitur Orestes, ut et Clytæmnestræ videretur ad veritatem rei accipiendam permagni interesse, ut Aegisthus exiret, et spectantibus significaretur, penes eam fuisse dominationem omnique eam caruisse pudore. Quod autem non ante Orestes, quam, per hospitium Aegisthum obtestatus, tertio jam ostium pulsavit, a janitore, ut fores aperiret, impetravit, hoc non scio an illud Aeschylus egerit, ut non modo spectatores viderent, quanta superbia in cives dominarentur interfectores et quam difficiles ad eos aditus essent, verum etiam ut janitori persuaderetur, Orestem prorsus ignorasse, qualis esset domus conditio.

---

[1]) Sunt, qui velint Electram ea, quæ vv. 691—700 continentur, locutam esse, ut Schwenkius, Klausenius, Petersenius, Gruppeus, Jacobus, Nissenius, Schlegelius, alii. Quorum ad sententiam nihil video quod accedam. Neque profecto argumenta, quibus eam comprobatam volunt, quicquam mihi videntur probare. Dicunt enim istiusmodi simulationem, qualis his verbis a Clytæmnestra factis contineatur, ab omni prorsus matris naturæ abhorrere. Utinam quidem hæc ita essent. Sed aliud docet vita rerumque memoria. Negant iidem omnino Clytæmnestræ moribus eam convenire. Quæ opinio ne vera esset, Aeschylus, opinor, providit. An aliis moribus Clytæmnestram in Choëphoris, atque in Agamemnone, præditam finxit? Minime. Immemor tum certe fuisset, quo arto vinculo utramque tragoediam cohærere vellet. Iidem autem si sunt in utraque fabula atque constantes mores Clytæmnestræ, num alienum ab ea censemus, nuntio de morte filii accepto, voces lamentabiles edere, quamquam magno gaudio cumulata est; maritum, quamvis acerbo in eum odio inflammata sit atque etiam cædem ejus moliatur, summi gaudii ac singularis amoris simulatione recipere non alienum? Dixerit fortasse quispiam, nihil eam habuisse causæ, cur de morte filii certior facta luctum simularet, ut quum potentissimi regis vitæ insidiaretur. Itane vero? Ne tum quidem, si dubia erat, an nuntio allato nulla fides habenda esset? Quæ dubitatio eo indicatur, quod, ut Aegisthum armatis stipatum venire juberet, nutrici mandaverat, cujus ex oratione etiam audimus Clytæmnestram doloris speciem præ se tulisse. Præterea Electra, si domo egressa esset, contra præceptum Orestis egisset, qui eam prospicere jussisset, ut intus in ædibus omnia se bene haberent.

Sermonem jam, quem inter se conferunt Clytæmnestra, domo egressa, et Orestes, hospitem simulans, si diligentius examinabimus, multa reperiemus in eo inesse, quæ iis, qui et in Choëphoris et in Agamemnonis fabula actis jam rebus interfuissent, non potuerint non videri ambiguitatem quandam habere atque ironiam. In quo quum Clytæmnestra dicit, in promptu ea esse, quæ talem domum deceant, balnea, laborum fomenta, justorum oculorum præsentiam, amicos consiliorum auctores, cui auditorum in mentem non veniat, quanta miseria domus Agamemnonia afflicta jaceat, quibus balneis Clytæmnestra reducem conjugem acceperit, quale fomentum ei laborum præbuerit, qua simulatione veram animi sententiam dissimulaverit, quantum denique Aegisthi amicitiæ et auctoritati tribuerit [1])? Et voces, quas, audita morte filii, edidit Clytæmnestra, nonne ejusmodi sunt, ut et lamentationem audire sibi videantur peregrini et gratiarum actionem ii, qui, quo animo in filium sit, cognitum habent? His enim videtur illa, ad quam noverunt nihil jucundius perferri potuisse, magnam dirarum domus potentiam prædicare, quod filium, quamvis in tuto esse visus sit, perdiderint ab eoque ipsam liberaverint, quem quod maxime metuerit, summa in miseria versata sit ac lætitiæ spem, quæ in eo a quibusdam posita esset, præciderint. Respicientibus autem, quæ misera ei sors immineat, irrisione quadam videtur se ipsa exagitare. Atque Orestis in oratione quis est, quin intelligat, multa inesse, quæ ambiguitatis sunt plena, ut quum dicit, se velle hospitem tam beatorum hospitum esse, et pro impietate se habuisse susceptum negotium non perficere? Hujusmodi ambiguitate verborum agentes sæpenumero usos esse apud tragicos Græcorum imprimisque apud Sophoclem, idque tum potissimum, quum in summo discrimine res versaretur, facile inveniet, quicumque attento animo fabulas eorum perleget. Quam tamen tantum abfuit ut ii, qui in actione erant occupati, semper quærerent, ut nonnumquam eam ne animadverterent quidem. Spectantibus autem, quippe qui rerum conditionem multo melius, quam agentes, perspicerent, apertissima fuit [2]). — Attendendum est, quam caute Clytæmnestra et quam constanter gaudium suum peregrinos celaverit. Nemo, cui animus ejus in Orestem cognitus non erat, ne ex una quidem voce quicquam nisi dolorem suspicari potuit. Tum demum, quum peregrini domum intraverant, veram animi sententiam aperuit, quum se impudenter in Aegisthi amore jactaret. Unde apparet iisdem prorsus moribus Cly-

---

[1]) Agam. 887—907, 1109, 1128, 1227 sqq. 1434—7, 1673—4.

[2]) De hac re uberius disputat Gruppeus (Ariadne p. 728 sqq.). Cfr. Eschenburgii l. l. p. 227 et Schreiteri l. l. p. 10.

tæmnestram in Choëphoris præditam esse, quibus in superiore fabula insignis erat, ubi post cædem factam libere professa est, se minime pudere, quod longe alios sensus simulasset, quam quibus esset affecta nihilque timoris se habituram, quamdiu Aegistho amico uteretur[1]). Ex mandato autem, quod famulo cuidam illa dare fingitur, ut peregrinis in hospitalia deductis justa præberet, videri licet, quam superbe in suis dominetur.

In ædes ubi Clytæmnestra rediit, nutrix Orestis, cui nomen erat Cilissa[2]), foras exiit, ut Aegisthum jussu dominæ arcesseret. Oratio, quam, ubi in proscenium processit, illa habuit, simplicissima est et ad hominis infimæ conditionis ingenio accommodatissima, orationi Clytæmnestræ maxime contraria, neque potest animos spectantium suavissime non afficere. Quæ in hac desideraverant, in illa reperierunt. Summo enim dolore affecta propter nuntiatam Orestis mortem ex animo se lamentis lacrimisque tradit. Quomodo mater interitum filii, in quo magnam spem posuit, deplorat, ita Orestis illa mortem, quam veram esse putat, lamentatur. In quo quod in memoriam sibi redigit labores illos, quos multos in parvulo curando frustra consumpserit ex iisque recordandis solatium quasi quoddam doloris vult reportatum, hoc neminem puto offendi, qui non ignorat, qualis homo ipse est, talem ejus esse orationem[3]). Cujus rei Aeschylus tam memor est, ut orationis non modo sententiam, verum etiam formam ad mores atque animi affectum nutricis ita accommodarit, ut quasi singultibus oppressa et lingua hæsitans non continenter, sed interrupte loqueretur. Fuerunt tamen, qui Aeschylum reprehenderent, quod talem personam in scenam tragicam induceret[4]). Quæ illa loqueretur, non satis digna esse dictitant gravitate tragoediæ. Sed ne plus gravitatis a tragoedia postulent, quam quantum ab ipsis tragicis unquam sit postulatum, ipsi viderint. An aliis multis locis homines infimæ fortunæ ab iis non inducti sunt? At inducantur sane, modo ne tanta simplicitate tantaque naturæ imitatione,

---

1) Agam. 1372 sqq., 1434—7.

2) Arcinoën fuisse nomen nutrici Orestis auctor est Pindarus (Pyth. 11. 17), qui ab ea Orestem e manibus Clytæmnestræ, Cassandram et maritum nece afficientis, servari facit. Apud Pherecydem et Stesichorum eam Laodamiam appellatam fuisse narrant scholiastæ ad Pind. l. l. et ad h. l. Aeschyl.

3) Cfr. Plat. reip. 3. 11. *Τί δ' ὁ τρόπος τῆς λέξεως καὶ ὁ λόγος; οὐ τῷ τῆς ψυχῆς ἤθει ἕπεται;* Mollwoi Darlegung des inneren Ganges d. Aeschyl. Orestie p. 23.

4) Apud Petersen. l. l. p. 189 hoc scriptum est. Nec minus vituperatione digna quædam esse videntur dicta nutricis ex. gr. vv. 751—6. Nam Aeschylus, ut hominum istiusmodi imaginem ad naturæ similitudinem proxime accedentem delinearet, gravitatis Tragoediæ dignitatisque prorsus oblitus est. Cfr. Bernhardyi Grundriss d. Griech. Litteratur II. p. 273. ed. sec. Rapp. l. l. p. 33.

quanta hæc vetula, animi sensa exprimant. Quasi homines omnis eruditionis expertes non ingenio suo convenienter, sed tamquam liberali doctrina politi, loqui debeant. Præterea hanc rem judicantibus censeo morum Græcorum habendam esse rationem. Sunt enim multa, quæ quamvis nos offendant, Græci tamen minime dedecere putaverint. Cujus rei exempla sunt permulta et apud Homerum et apud alios scriptores. Neque profecto hoc nobis est mirandum considerantibus, a natura quanto propius, quam nos, abfuerint illorum præcipue temporum homines, quorum mores ut Homerus, ita tragici depingunt. Verum hæc hactenus.

Chorus, memoria probe tenens, quid jussisset Orestes, tacere, ubi oporteret, neque vero opportuna non dicere, Cilissam, ubi audivit dicentem, a Clytæmnestra se esse missam ad Aegisthum arcessendum, interrogavit, quomodo instructum eum venire vellet, utrum armatis stipatum, an solum. Posteriusque præcepisse Clytæmnestram respondenti suasit, ut Aegisthum solum, non satellitibus comitatum adesse juberet. Qua re confirmantur ea, quæ de choro supra disputavimus, quum diceremus, eum partes actoris sustinentem apud tragicos imprimisque apud Aeschylum sæpenumero magnam in actione partem habuisse. An hoc nihil agentis erat, facere, ut defensores ille dimitteret, in quem impetus futurus esset. Quod quum efficeret chorus operam tam magnam Oresti præstitit ad victoriam eam reportandam, in qua tragoedia erat posita, ut dubium sit, an, ea nisi adjutus, inferior a pugna discessisset.

Hoc modo quum res in extremum discrimen adducta esset, secundo in stasimo chorus, dum extra scenam actio procedit, deos adiit obsecrans, ut proposito Orestis exitum afferrent felicem. Obsecrat Jovem, cujus leges quod servatas vellet Orestes periculum tantum subiret, ut finem tunc miseriæ et calamitati ejus propitius imponeret; obsecrat deos penates, qui domus Atridarum multa scelera vidissent, ut hoc Orestis juste facto sceleste facta majorum expiarentur; obsecrat Apollinem, cujus præceptum Orestes persequeretur, ut libertatem domui ac salutem impertiret; obsecrat denique Mercurium qui fraudis esset præses, ut adjutor Oresti præsens adesset. Jam vero Orestem quasi præsentem hortatur, ut patris amicorumque memor rem confirmato animo perageret neve misericordia inductus matri parceret. Aptissime igitur videmus ea quoque, quæ in hoc stasimo chorus canit, cohærere et cum iis, quæ proxime ante gesta sunt et cum illis, quæ sunt consecutura. Hic non minus, quam in priore stasimo, ostendit chorus persuasissimum sibi fuisse, consilium Orestis esse rectum, quo peracto et violatum jus expiaretur et salus restitueretur domus Atridarum. Hujus tamen rei exitum in voluntate atque auxilio deorum positum esse profitetur. Ita

factum est, ut animos auditorum non modo a rebus alienis avocaret, verum etiam ad leges divinas contemplandas cum iisque quomodo ea concinerent, quæ agerentur, ad considerandum adduceret. Extremo carmine quasi præsagiens indicat, quid Oresti, matrem interfecturo, eventurum esset, ut filii nomine eum appellans misericordiam mater imploraret. Quod quum fieret, officii memorem eum jubet forti animo par pari referre.

Hoc carmine ad finem perducto in scenam Aegisthus procedit. Ex sermone ejus cum choro collato apparet eum iisdem moribus atque in priore fabula insignem esse. Summa in eo est ignavia, quam sermone arrogantiæ pleno tegere studet. Gaudet magnopere de nuntiata Orestis morte, sed non audet, priusquam exploratam habet fidem nuntii, id profiteri. Gloriose de se ipso, quasi vir vere sit, loquitur, cum contemptu quodam de Clytæmnestra, penes quam tamen apparet imperium esse. Atque in ædes monitu chori ingrediens, ut ex ipsis nuntiis de rei veritate sciscitaretur, cum confidentia affirmat, nihil acumen suum præteriturum. Hanc mentis aciem, qua instructum se esse Aegisthus gloriabatur, spectatores, qui rerum statum tenentes præclare intelligerent, quam temere in perniciem se mitteret, non potuerunt pro summa cæcitate non habere. Inest igitur in hoc Aegisthi sermone ironia quædam; de quo orationis genere supra disputavimus. Neque vero quemquam potest fugere, hic denuo quantam vim ad rem peragendam Aeschylus chorum jubet habere. Hujus enim prudentia atque consilio factum est, ut in hospitalia se ad rem diligenter e peregrinis percontandam Aegisthus conferret, non in gynæconitidem ad Clytæmnestram.

Quo facto quum omnium animi suspensi essent ac solliciti, quem exitum res, quæ in summo tum versaretur discrimine, habitura esset, magnam hanc exspectationem chorus eo auget, quod precibus ad Jovem factis exponit, quanti momenti pugna instans esset, cujus ex eventu penderet, domus Agamemnonia utrum salutem assecutura esset, an prorsus peritura. Hoc modo chorus tragicus Græcorum ante ipsam rerum conversionem solebat rei exitum secum considerare et ante oculos ponere, sicut in Agamemnone fiebat et in Eumenidibus, ut de aliis taceam. Precandi finem vix chorus fecerat, quum ex hospitalibus voces lamentabiles ab Aegistho percusso exaudiuntur et statim post famulus se domo proripit ac, magna voce mortem domini lamentans et januam pulsans gynæconitidis, Clytæmnestram evocat. Advolanti igitur Clytæmnestræ et causam tumultus quærenti respondet satis obscure, vivum a mortuis interfici. Quo tamen responso, quid significatum voluerit famulus, extemplo illa intelligit. Conscientiæ angore vexata videt statim, se dolo esse circumventam neque vero est ei primo non

persuasum, tempus adesse, quo poenæ parricidii sibi essent luendæ. Deinde vero animum capit et securim poscit, ut vim vi defenderet. Mortuum autem Aegisthum, foribus apertis, conspicata animo deficit et a vi ad preces se convertit, quibus misericordiam filii commovere studet. Quæ res ad voluntatem prope fluxit. Pueritia enim in memoriam revocata, ubi lacte frueretur mammarum, quas monstratas revereri jussus est, in consilio suo valde hæsitare coepit incertusque, quid esset faciendum, a Pylade consilium petivit. Hic tum de oraculo Apollinis dubitantem admonuit, cujus partem tantum ab eo perfectam esse dixit.

Quod usque ad id tempus, quo Orestes dubius erat, an jussum Apollinis non conficeret, Pylades semper tacuit, id ostendere mihi videtur, hac in tragoedia eum non tam ideo a latere Orestis numquam discessisse, quod quasi exemplar amici eum ante oculos spectantium proponere Aeschylus vellet[1]), sed quia partes Apollinis quasi tueri fingebatur. Quæ res etiam eo probatur, quod in proxima fabula, ubi Apollo ipse procedit, Pylades prorsus abest. Neque vero noluit Aeschylus eo, quod in re ipsa peragenda Orestem hæsitantem et memoria oraculi repetita indigentem fecit, significatum, mitissimum in eo fuisse ingenium immanemque eum secum ipsum habuisse contentionem, quum pietate, quam matri deberet, matricidium facere vetaretur, in patrem contra pietate facinus committere juberetur. Tametsi vix potuit matris quicquam meminisse neque curæ illius, quam de eo puero habuerat, quippe qui parvulus domo ejectus esset, scelera autem illius in patrem nefarie commissa partim jamdiu cognita habet, partim a sorore nuper et a choro exposita audiverat, tamen officii in matrem tam memor fuit, ut, nisi de voluntate Apollinis admonitus, consilium poenas cædis paternæ ab ea repetendi abjecisset, quum, officiorum inter se pugnantium utrum utri anteponendum esset, dijudicare non posset. Consuluit igitur Pyladem tamquam interpretem religionis[2]). A quo quum præceptum Apollinis in memoriam ei redactum esset, nihil jam dubitavit, quid sibi esset faciendum. Frustra Clytæmnestra eum de iis commonuit, quæ matri deberet filius. Dicit eam parricidio et sua e domo ejectione et adulterio commisisse, ut omne jus maternum amisisset. Frustra culpam illa parricidii in fatum transferre studuit[3]). Affirmat necem illius eodem fato jussam esse. Frustra negavit, domo eum a se ejectum esse,

[1]) Ut dicit J. V. Westrikius in disput. lit. de Choëphoris, deque Electra cum Sophoclis tum Euripidis p. 192.

[2]) Interpretes religionis (ἐξηγηταὶ τῶν ἱερῶν καὶ ὁσίων) quo munere apud Græcos functi sint, docent Schoemannus (Griech. Alterthüm. I. p. 431) et C. F. Hermannus (Lehrb. d. Gr. Antiquität. I. p. 30. II. p. 5). Cfr. Demosth. c. Euerg. 68 sqq.

[3]) v. 910 cfr. Agam. 1498—1504.

quum ad hospitem mitteretur[1]). Bis ait, non modo semel, ab illa se veniisse idque turpissimo pretio. Frustra amores illa suos Agamemnonis amorum excusatione defensos voluit[2]). Aliud viro belli labores sustinenti, aliud mulieri, domi sedenti, licitum esse asseverat Orestes. Nihil igitur ubi se efficere intellexit neque precibus nec argumentis, ad terrores decurrit Clytæmnestra et ad minas. Diras matris nonne metueret, Orestem interrogat. Et furias suas iratas ut caveret, eum adhortatur. Ad quæ Orestes quærit, quomodo, si illi parceret, patris furias fugeret? Quod quum ad omnia surdas esse aures Orestis videret, nihil aliud ei relinquebatur, nisi ut sortem suam conquereretur, quippe quod istiusmodi anguem sibi peperisset. Verissime præsignificata somnio esse, quæ illi eventura essent, Orestes affirmat. Quibus dictis ad mortem eam vi abstrahit, quum jubet eam sicut, quem non oporteret, interfecisset, ita, quod non fas esset, pati.

Hoc toto Clytæmnestræ et Orestis sermone imprimisque extremis Orestis vocibus indicatum sine dubio Aeschylus voluit, gravissimum quidem fuisse Orestis officium ulciscendi, sed tam immane et tam secum pugnans, ut expleri non posset, quin alterum non minus grave officium negligeretur. In cæde Aegisthi nihil inerat, quod metum et misericordiam ita vehementer commoveret spectantibus. Meritam adulterii mercedem ille accepit. Quamobrem primum et sine ulla dubitatione eum Orestes trucidare fingitur de ejusque nece nihil percipiunt auditores nisi vociferationem morientis. Clytæmnestram contra non prius ad supplicium traditam voluit Aeschylus, quam, coram spectantibus actione quasi instituta, capitis accusata quodammodo convictaque ac damnata esset. Quid in matricidio horribile inesset, præclarius intellexit, quam ut perpetrandum id esse putaret, antequam Clytæmnestra culpam suam ipsa si non confessa esset, at certe vidisset, et facinus Orestis spectantibus, quoad fieri posset, purgatum probatumque esset. Quod eo magis erat consentaneum, quia in Eumenidibus Orestem a furiis liberatum voluit. Neque vero ex hoc sermone non apparet, quomodo fieri potuerit, ut Orestem, quamquam persuasum habuit, optimo se jure cædem paternam in matre vindicasse, furiæ exagitarent. Tantum igitur huic sermoni tributum videtur Aeschylus voluisse, ut, quidquid tragici in re ab Oreste gesta inesset, id omne spectantibus ob oculos positum inde comprehendi atque cognosci voluerit. Quæ quum ita sint, facile intelligitur, Aeschylum, quum hujusmodi hic sermonem inter Clytæmnestram et Orestem conferri fingeret, prudentissime egisse neque universæ Orestiæ rationi non convenienter, tantumque abesse, ut propter

[1]) v. 914. cfr. Agam. 877—85.

[2]) v. 918. cfr. Agam. 1438 sqq.

hanc rem vituperatione, id quod fuerunt[1]) qui putarent, dignus sit, ut summis etiam laudibus efferendus videatur.

Hoc episodio terminato Aeschylus sine dubio toti Choëphororum tragoediæ finem imposuisset, nisi aptum ad insequentem fabulam transitum parare voluisset. Res enim ea, quam Orestes sibi proposuerat, gesta erat, vindicta ab interfectoribus patris sumpta, et alia actio a proximo episodio incipit: vexatio Orestis a furiis suscepta. Ut vero neque Aeschylus nec Sophocles subito quicquam in tragoediis incidere voluerunt, ita ne hæc quidem vexatio a furiis præter exspectationem suscipi fingitur. Eam et Clytæmnestra filio, cædem denuntianti, comminata erat et Orestes ipse animo præsenserat atque adeo metuerat neque vero in iis, quæ chorus primo post discessum Orestis pronuntiat, non aliquid inest timoris, etsi gaudio illo, quod de re feliciter gesta conceperat, metus omnis aliquamdiu comprimitur.

Clytæmnestra igitur ab Oreste in ædes abrepta, ut prope Aegisthum necaretur, chorus, postquam de effuso sanguine se quidem dolere, sed tamen salutem Oresti precari dixit, quartum instituit stasimum, in quo, lætitia triumphans, potentiam ac justitiam celebrat deorum, qui sceleratos certa poena, quamvis nonnumquam tarda, afficiant. Quem de occisis parricidis ululatum cantare ut sibi liceret, optaverat[2]), eum nunc canit, quemque vindicem Cassandra aliquando venturum vaticinata erat[3]), eum nunc pervenisse prædicat et quasi fastigium facinoribus in domo Atridarum commissis imposuisse. Fortunam domus Agamemnoniæ canenti in mentem venit choro, quippe qui e captis Trojanis esset compositus, domus Priamidarum, cujus injurias ut persequeretur, Agamemno culpam illam suscepit, cujus poenas domum redux dedit. Quo fit, ut exemplis comprobet, nullum impium facinus a diis umquam suo tempore non graviter vindicari. Probos, inquit, adversus improbos vehementer et consilio et opera sublevant, ut Apollo Orestem auctoritate sua adjuverat, ut Jovis filia, justitia divina, eidem pugnanti præsens auxilium præstiterat. Quibus adjutoribus quum Orestes rem gessisset, optimo jure se sperare putat, domum Agamemnoniam tum tandem omnibus malis in perpetuum esse liberatam et optimum

---

[1]) Apud Petersen. (de Aeschyli vita et fab. p. 189) hoc scriptum est: Quæ Orestes et Clytæmnestra, vv. 889—931, inter se colloquuntur, haud sunt digna, quæ cum aliis tam gravis momenti locis apud Aeschylum comparentur. Gruppeus (Ariadne p. 19) ita disputat: Nachdem schon Aegisth gefallen, nachdem schon Orests Entschluss feststeht, Klytämnestra desgleichen hinzurichten, lässt Aeschylus diesen Orest mit der Mutter inzwischen noch eine lange kaltbesonnene Wechselrede halten, was das Tragische wahrlich nicht erhöht, sondern eher entgegenwirkt.

[2]) v. 386. [3]) Agam. 1280 sqq.

rerum statum coepturum. Qua spe impletæ virgines chori inter se cohortantur, ut cantum triumphalem de restituta domo cantarent.

In hoc igitur stasimo quæ res canuntur, non minus cum argumento tragoediæ cohærent, quam quæ in prioribus insunt. Causas affert, cur, quæ gesta sunt, justissime acta esse putet; cogitationem avocat a rerum humanarum conflictione et difficultate ad jura divina contemplanda; deorum majestatem ac justitiam laudibus effert; quæ illis, quibuscum facit, feliciter evenisse arbitratur, de iis gaudet; quas de futuris habet exspectationes, pronuntiat.

Quo carmine ad finem adducto, exodus fabulæ incipit [1]), in qua res aguntur, ut modo dixi, quæ magis ad Eumenides, quam ad Choëphoros pertinent. Ac primum ope machinæ illius, cui nomen erat *ἐκκύκλημα* [2]), Orestes conspicitur manu lauream tenens vittatam et

---

[1]) Exodus quæ pars tragoediæ sit, Aristoteles in Poet. c. 12 docet, ubi hoc scriptum est: *ἔξοδος δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας, μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος.* Quæ definitio ita est interpretanda, ut exodus sit tota ea tragoediæ pars, quam nullam sequatur integrum chori carmen h. e nullum stasimum. Cfr. Waldæstelii comm. d. trag. membr. recte constit. p. 4. Est igitur exodus extremum fabulæ episodium, quod si chorus ut in Choëphoris, ita in multis superstitum tragoediarum aliquot versibus dicendis concludit, nihil eo descriptio illa claudicat, quippe quod hi versus non a toto choro canerentur, sed a Choryphæo pronuntiarentur. Cfr. Hermann. ad Aristot. Poet. c. 12. 7. Stahr. (Arist. Poetik p. 110). Rossbach. et Westphal. (Metrik d. griech. Dramat. u. Lyrik. V. 3. §. 15). — Hunc chori, ut ita dicam, epilogum, quem de orchestra decedens pronuntiabat, Pollux (4. 15) sine dubio *ἐξόδιον* intelligit. Quod *ἐξόδιον* etsi apud posteriores tragicos perbreve erat et plerumque anapæsto, nonnumquam trochaïcho numero inclusum, apud primos tamen videtur et longius fuisse neque alia numerorum genera repudiasse. Neque profecto ex iis, quæ F. Aschersonius (Umrisse d. Gliederung d. gr. Drama) disseruit, non probabile videtur primo tragoediæ tempore chorum ut prologum fabulæ una cum parodo, ita exodum nonnumquam egisse Cfr. L. Schmidtii diss. de parodi in trag. gr. notione p. 22 sqq. Bodei l. l. p. 192. Quo factum est, ut a nonnullis exodus in carminibus chori numeraretur. Aristoteles autem, qui non ex antiquissimorum, sed ex optimorum poetarum operibus duxit, quæ in Poet. præcipit, in episodiorum numero, ut videmus, eam refert. Qua re tamen minime est negatum, carmina chorica, aut a parte quadam chori aut ab uno aliquo choreutarum et a scenicis cantata, ut in ceteris episodiis sæpenumero, ita in exodo inesse potuisse. Cfr. Fr. Fritzschei comm. de quattuor legg. scen. Græc. poes. p. 39.

[2]) *Ἐκκύκλημα* machina quædam fuit, cujus ope, quæ intus in ædibus erant, diductis scenæ tabulatis, spectantium oculis subjiciebantur. Mobilem enim scenam fuisse, quæ promota interiorem domus partem repræsentabat, quum solita scena locum sub divo, ante domum quandam situm, plerumque ostenderet, testatur Pollux (4. 19): *τὸ μὲν ἐκκύκλημα ἐπὶ ξύλων ὑψηλὸν βάθρον, ᾧ ἐπίκειται θρόνος· δείκνυσι δὲ καὶ τὰ ὑπὸ τὴν σκηνὴν ἐν ταῖς οἰκίαις ἀπόῤῥητα πραχθέντα καὶ τὸ ῥῆμα τοῦ ἔργου καλεῖται ἐκκυκλεῖν· ἐφ' οὗ δὲ εἰσάγεται τὸ ἐκκύκλημα, εἰσκύκλημα ὀνομάζεται.* Cfr. C. E. Gepperti altgriechische Bühne p. 172 sqq. Rothmanni l. l. p. 14.

propter eum corpora cæsorum strata[1]). Parricidæ ambo et domus eversores quomodo jacerent, chorum intueri jubet et vestimentum illud, quo irretitus pater suus in balneo trucidaretur, spectare. Atque extensum id ostendere famulos jubet, ut Sol illam matris conspiceret machinam, quam quo satis digno nomine appellaret, dubius est. Comparat cum vipera veneni plenissima matrem, quippe quæ pietatis adeo expers fuerit, ut maritum, ex quo liberos concepisset, jugulare in animum induxisset. Istiusmodi uxor ne sibi obveniret, exoptat.

Hæc Orestes non gaudio elatus dixit, ut maledicta et convicia in mortuos conjiceret[2]), sed, futura jam præsagiens, ut se ipse et sibi et

---

[1]) Apud Græcos ea erat consuetudo, ut supplices ramos oleæ, velamentis redimitos, manu tenerent eosque porrigerent iis, quibus supplicarent. Ita instructus ramus (*κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας, ἐρίῳ λευκῷ κατεστεμμένος*. Plutarch. Thes. 18) appellabatur *ἱκετηρία*. Hanc consuetudinem jam Homeri ætate viguisse ex Il. 1. 14 videmus, ubi de Chryse hoc dicitur: *ὁ γὰρ ἦλθε -- στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν*. — Cfr. Eum. 43—4. Soph. Oedip. T. v. 3.

[2]) Iniquius igitur, quam justius Petersenius l. l. p. 189 Aeschylum vituperat, quod Orestem hoc loco "in cæsam matrem acerbissimis cavillationibus verborumque contumeliis invehentem" induceret. Quæ sceleste mater atque impie in patre fecisset, Orestes commemorat non ideo, quod maledictis in mortuam conferendis gauderet, sed quia nefaria illius facinora recensendo morsus conscientiæ. quibus ob læsam matris pietatem excruciari inciperet, sublatos voluit. Ex omni tragoedia apparet cupide nullo modo, sed religione officii, quod sibi impositum putaret, adductum ad matrem occidendam accessisse. Tantum abest, ut libidine latus matricidium perpetrandum suscipiat, ut etiam vereri videatur hoc facinus aperte profiteri. Neque enim in prima vindictæ commemoratione, quam ad sumendam deorum opem v. 18 implorat, matris mentionem facit et, oraculo Apollinis enarrato, Aegistho præcipue mortem denuntiat v. 305. Quum Electra et chorus omnem matris injuriam patri illatam depinxissent et ante oculos ei animumque proposuissent, tum demum prædicat, se, diis juvantibus, poenas ab ea repetiturum ignominiæ paternæ. Ac somnio matris audito, quod a patre missum ad se spectare putat, sine ulla dubitatione et fidenti, ut videtur, animo affirmat, matrem se interfecturum. Quod tamen immane atque impium facinus ei visum esse ex eo patet, quod, priusquam rem peragat, humanam sibi naturam quasi exuendam existimat. Quæ eadem res haud scio an effecerit, ut Aegisthum ante matrem occidere constitueret. Illi enim necem inferre numquam dubitavit Orestes. Cujus rei causam ipse affert, quum, cæde facta, trucidatum Aegisthum dicit merita adulteri mercede ornatum esse. In quo tenendum est, apud Græcos licitum fuisse adulteros morte affici deprehensos, ut est ap. Demosth. c. Aristocrat. §. 53: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ -- ἢ ἐπὶ δάμαρτι ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ᾽ ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ παλλακῇ ἣν ἂν ἐπ᾽ ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείνατα* — et ap. Xenoph. Hier. 3. 3. *μόνους τοὺς μοιχοὺς νομίζουσι πολλαὶ τῶν πόλεων νηποιεὶ ἀποκτείνειν --* et ap. Plutarch. Sol. 23. *μοιχὸν μὲν γὰρ ἀνελεῖν τῷ λαβόντι δέδωκεν --*. Cfr. Plat. Legg. 9. 12. Meier. et Schoemann. (Der Attische Process p. 329). Nihil igitur mirum, si Orestes religioni nihil habuit Aegisthi cædem facere neque factæ eum quicquam poenituit. Matris autem necem quum in eo esset ut perficeret, magnam in dubitationem eum incidisse vidimus. Quamobrem

aliis purgaret. Necem Aegisthi nihil excusat, quippe quam justissimam esse arbitretur. In matricidio autem defendendo diu versatur et ex oratione ejus intelligi licet, quomodo, quanto magis animo commoveatur, tanto vehementioribus utatur verbis; ut conscientiæ angorem atque sollicitudinem verbis obtundere velle videatur. Quod tamen frustra esse consentaneum erat. Majus erat facinus, quod commiserat, atque immanius, quam ut ei, qua erat naturæ bonitate, præstigiis verborum et captionibus probari posset. Quæ ante rem gestam dubitatio eum tenebat, officio patris ulciscendi præceptoque Apollinis cesserat, re autem confecta ubi manu sua trucidatam ante se jacere matrem oculis videt, omnis rei atrocitas atque immanitas ei apparet summoque horrore eum afficit. Pallium illud patris sanguine respersum videns deos et homines testificatur, se non sine jure matri, quæ istiusmodi rem impie machinata esset, necem intulisse, neque vero factum suum atque etiam omnem suam gentem vehementer non dolet. Facinus suum sentit esse impium, neque satis habet solatii, quod pia id mente admiserat. Furias matris sibi accedentes planius usque videre sibi videtur, a quibus non sperat, se ullo modo posse liberari nisi opera Apollinis a piaculo concepto expiatus esset. Supplicem igitur Delphos se petiturum ait ac domi se amplius posse manere negat. Frustra animum ejus chorus tranquillare eo studet, quod facinus ejus patri acceptissimum fuisse monet; frustra eo, quod civitatem a superbis dominis eum liberasse dicit; frustra denique eo, quod eas, quas diceret se videre furias, opinabiles esse affirmat et quæ, expiatus si esset a recenti sanguine manibus adhærenti, discessuræ essent. Dicit se clare furias matris horribiles oculis suis videre[1]) ab iisque patria proturbari ac de proscenio se projicit.

---

verum non est, quod dicit Gervinus (Skakespeare II. p. 142), Orestem ante rem gestam nulla dubitatione affectum fuisse. A Pylade oraculi Delphici commonefactus facile sibi persuadet, officium patris ulciscendi non esse negligendum; neque vero dubitavit, quin hoc ipso officio præstando jus maternum violaret. Et quisquam putabit, eum, qui ejusmodi moribus insignis fuerit, matricidio gloriari ac non nefaria matris facinora ob oculos ponendo id excusare voluisse. Ac si in facto suo acquieverit eodemque etiam sit gloriatus, quomodo intelligemus, eum a furiis statim ita exagitari, ut in patria manere nequeat.

[1]) Furiæ utrum et spectantibus et Oresti apparuerint, an soli Oresti, inter doctos viros non constat. Choro eas conspectas fuisse, quamvis id ille negaverit, nihil est, quod putemus. Quod ut explicemus, non opus est existimare scalas illas charoneas, per quas e terra escenderunt, in orchestra a tergo chori sitas fuisse. Neque enim probabile est, machinam ullam, qua actores, non chorus, nonnumquam usi sunt, fuisse in orchestra, sed in proscenio. Ex hyposcenio igitur, qui locus erat sub proscenio, anapiesmatum ope per scalas illas videntur in scenam ascendisse, quæcumque ab inferis venientia fingebantur. De qua re ap. Polluc. (4. 19) hoc scriptum est: *αἱ δὲ χαρώνιοι κλίμακες, κατὰ τὰς ἐκ τῶν ἑδωλίων καθόδους κείμεναι,*

Avolantem chorus optimis ominibus ille quidem prosequitur, sed dubius tamen est, utrum salutis, an interitus auctorem eum appellet. Hæc, quæ in Oreste usu venissent, consideranti magna ei affertur dubitatio, an nova calamitas instaret. Qui acerrimus semper rei gerendæ suasor

---

τὰ εἴδολα ἀπ' αὐτῶν ἀναπέμπουσι, ubi Lohdeus (Die Skene d. Alten p. 22) κατὰ τὰς ἐκ τῶν ἐδεθλίων καθόδους scribendum esse arbitratur. De anapiesmatis vide Schlegelii Vorles. üb. dr. Kunst I. p. 285. Per has machinas in scena furiæ in conspectum venerunt alia post aliam, usquedum omnes, e quibus chorus Eumenidum constabat, aderant. Quod tamen non impedit, quominus poeta eas choro invisas esse voluerit. Res insolita non est apud scenicos poetas, hominum, qui in scenam inducti sunt, aliis, quorum animi graviter sunt concitati, visa objici, aliis, qui eodem animi motu vacant, non item. Ut apud Shakespearium Hamlet umbram patris videt, mater non videt; magas vident et Macbeth et Banco, non Lenox; umbram Banconis Macbeth, non conjux ejus, non convivarum quisquam. Ejusmodi visiones quamquam nihil aliud sunt nisi eorum, qui illas vident, expressæ opinionum imagines, vere tamen iis sunt. Quod ut intelligant spectatores neve commenta tantummodo agentium ea esse putent, oculis eorum apparet illas esse subjiciendas. Eadem est hic ratio furiarum. Conformationes solæ animi Orestis illæ quidem sunt, sed summo vigore quum præditæ sint, speciem induunt rerum, quæ soliditatem quasi quandam habent atque eminentiam, ut oculis eas cernat non minus clare, quam in posteriore fabula chorum Eumenidum. Ac spectantium ab oculis, si eas non vidissent, Aeschylus aliquid removisset, quod in scena actum est. Hoc autem absurdum esse et ab omni spectaculi natura abhorrere, quis est, quin intelligat? Cfr. Mülleri Eumenid. p. 73. Gervini Shakespeare II. p. 149 sqq. Quod dicunt, furiarum, si jam in Choëphoris visæ essent, in Eumenidibus conspectu non tam vehementer commotos esse animos spectantium, quam si tum primum aspicerentur, id etsi verum esse nemo facile negaverit, tantum tamen abest, ut ad rem, quam volunt, comprobandam valeat, ut contra nostram firmet sententiam. Non enim solebant poetæ tragici Græcorum, ut jam supra diximus, rebus inopinatis auditores opprimere, sed iis semper, quæ agerentur, etiam præparatos ad illa, quæ futura essent, spectanda volebant. — Neque vero magna fide digna est narratiuncula illa, quæ est apud auctorem Vitæ Aeschyli: ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι, quam sunt, qui proferant, ut probent, furias ab Atheniensibus visas non fuisse, antequam in Eumenidibus procederent, quippe quod iterum visæ tantum timorem non injecissent. Atque hac narratione, etiamsi vera contineret neque in multis iisque bonis codicibus deesset, nihil aliud probatur nisi horribilem fuisse aspectum furiarum, σποράδην in orchestram ingredientium. In quo tamen est animadvertendum, etiam in Eumenidibus furias, antequam in orchestram ingrederentur, in scena spectantibus apparuisse. Cfr. Schoenborn. l. l. p. 229. Dahms. l. l. p. 25. C. F. R. Schultzei diss. de chori græc. trag. habitu externo p. 54. Quo argumento Weilius ad Aeschyl. Choëph. v. 1059 sententiam suam vult confirmatam, quum dicit "Eumenidum prologum, quo nova horrendarum dearum species, antequam subjiciatur oculis, verbis proponatur, docere furias a spectatoribus in Choëphoris non conspici", id profecto parum habet ponderis. Alia erat fabula, alia scena, aliud tempus, alio in statu erant collocati non modo Orestes, verum etiam furiæ: quæ

Oresti fuerat ex eaque gesta omnem felicitatem ac salutem non modo in domum Agamemnoniam, sed in universam Argivorum civitatem redundaturam esse persuasum habuerat, ille nunc est incertus, an eadem ipsa res pestem allatura esset ac perniciem. Non jam audet gaudere, quod munere ulciscendi Orestes feliciter functus esset, sed pristinas domus clades memoria repetens summo dolore afflictus hæc quærit: quando tandem conquiescet vis mali? Qua cum quæstione chori Aeschylus finem imponit Choëphoris. Responsum autem quale esse voluerit, in Eumenidum fabula eum proponere vidimus.

His rebus in exodo hujus fabulæ actis quam apte animos spectantium ad sequentis fabulæ res spectandas præparaverit, nemo non facile intelligit. Summa misericordia ac summo metu non affici non potuerunt, quum, Orestes quam male affectus esset, viderent. Noverant eum pia mente et voluntati deorum parentem officio, quod religio atque mos imposuerat, satisfecisse; culpam tamen intellexerunt eum illo suscepisse, quod sanguinem matris profudisset. Quæ inaudita mala Apollo ei minatus esset, si nece parricidas non affecisset, justa esse putarunt; matris vero furias, venerabiles illas impietatis vindices, juste in eo egisse, quod jus matris violatum exsequerentur, negare non potuerunt. Quæ magna repugnantia quomodo tolleretur, prorsus ignorarunt. Fieri non potuit, quin ut chorus, ita spectantes optimis votis Orestem prosequerentur; quemadmodum autem salutis particeps futurus esset, non magis, quam chorus, assequi potuerunt. Ex quo apparet summa exspectatione, quid Oresti eventurum esset, spectatores, quum hæc fabula terminaretur, animis pependisse.

Qui exitus, ut optimus fuit, quum fabula Eumenidum statim post, quasi proximus actus ejusdem tragoediæ, ageretur, ita prorsus vitiosus fuisset, si Choëphori solæ doctæ essent. Quod idem in exitu Agamemnonis fabulæ dici posse supra vidimus. Eadem enim in exspectatione fuerunt, quum illa tragoedia terminaretur, spectantes incerti, utrum, quæ præsignificassent Cassandra et chorus, futura esse confiderent, Orestem reducem debitas poenas a parricidis repetiturum esse, an, quæ scelesti sperarent, eventura arbitrarentur, ut victoria, qua post cædem factam triumpharent, impune perfruerentur et imperium atque domum trucidati regis cum felicitate tenerent, qua spe referta Clytæmnestra, odium et minas populi contemnens, Aegisthum secum ædes intrare jubet. Sic autem affectos tragici Græcorum nullo pacto voluerunt discessuros, qui doctas audivissent fabulas. Tragoediæ esse existimarunt a-

---

omnia nonne Aeschylo, prologum Eumenidum conscribenti, respicienda erant? Ac non modo furiarum habitus hoc in prologo proponitur, sed etiam Orestis, qui in exitu Choëphororum quomodo instructus esset spectatores vidisse, nemo, opinor negabit.

nimos spectantium rebus actis vehementer quidem commovere, hos autem motus ad extremum ita etiam purgare, ut nihil in animis relinqueretur nisi voluptas, quam quisque perciperet, quum, quæ miseranda, quæ metuenda hominibus evenirent, in rerum humanarum ratione et in justitia divina posita esse intelligeret[1]). Quod vero Aegisthus et Clytæmnestra, jure matrimonii violato, Agamemnonem, clarissimum regem, non modo jugulassent, sed mortuum etiam, superba lætitia exsultantes, conviciis consectarentur exsequiarumque justa denegarent et omnia jura divina atque humana despicientes in orbatum regnum invaderent[2]), id profecto non potuit honestissimi cujusque animum non gravissime offendere et, si impunitum id fieret, non magnam afferre dubitationem, an dii res mortalium prorsus negligerent: quam opinionem chorus Agamemnonis impiam esse dixerat[3]). Quamobrem si voluit audientibus Aeschylus satisfacere, fabulæ Agamemnonis altera erat subjungenda, in qua poenas, quæ exspectarentur, darent scelesti. Addidit igitur Choëphororum fabulam, cui et ipsi ejusmodi finem imposuit, ut, nisi iniquo animo auditores spectaculum relinquere vellet, tertiam subjiceret necesse esset. Hanc demum fabulam ita conclusit, ut opus tragoediæ efficeretur perfectum.

Exposui fere, ut potui, qua ratione Aeschylus in Choëphoris componendis versaretur; nunc, ut erat propositum, ad Sophoclem veniamus et, quomodo in vindicta Orestis proponenda egerit, quæ ipse novaverit, quæ ab Aeschylo inventa retinuerit, videamus.

---

[1]) Tragoedia quid efficiendum sit, docet Aristoteles in Poet. c 6: *ἔστιν οὖν τραγῳδία - - δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* Quibus verbis quid Aristoteles dictum voluerit, alii aliter disputarunt. Rectissime vero judicant ii, qui *κάθαρσιν* illam ad animos spectantium referunt eamque perturbationum interpretantur ad rectam rationem revocationem, ut Ed. Müllerus (Gesch. d. Theorie d. Kunst. II. 378 sqq.), Ad. Stahr. (Arist. Poet. p. 41 sqq.), L Spengel. (üb. die *Κάθαρσις τῶν παθημάτων.* p. 43 sqq.).

[2]) Mos fuit et institutum Græcorum, quicumque cædem fecisset, non modo templa atque aras deorum omniaque loca sancta religiose vitare, sed terram etiam patriam effugere, quippe qui omnia, quæ attingeret, polluere haberetur. In Eumenid. furiæ ab Apolline quærunt (v. 653): *τὸ μητρὸς αἷμ' ὅμαιμον ἐκχέας πέδοι, ἔπειτ' ἐν Ἄργει δώματ' οἰκήσει πατρός; ποίοισι βωμοῖς χρώμενος τοῖς δημίοις; ποία δὲ χέρνιψ φρατέρων προσδέξεται;* cfr. Choëph. 291. 4. Soph. Oed. T. 236--43. Eurip. Orest. 1602—4. Hercules furens Euripideus, conjuge et liberis necatis, conqueritur (v. 1281): *οὔτ' ἐμαῖς φίλαις Θήβαις ἐνοικεῖν ὅσιον· ἢν δὲ καὶ μένω, εἰς ποῖον ἱερόν ἢ πανήγυριν φίλων εἶμ';* et (v. 1295): *φωνὴν γὰρ ἥσει χθὼν ἀπεννέπουσά με μὴ θιγγάνειν γῆς καὶ θάλασσα μὴ περᾶν πηγαί τε ποταμῶν*, ad quæ Theseus (v. 1322): *Θήβας μὲν οὖν ἔκλειπε τοῦ νόμου χάριν, ἕπου δ' ἅμ' ἡμῖν πρὸς πόλισμα Παλλάδος. ἐκεῖ χέρας σὰς ἁγνίσας μιάσματος δόμους τε δώσω - -.* Cfr. Hom. Od. 23. 118—20, Il. 24. 480. Herod 1. 35. Demosth. c. Lept. 158.

[3]) Agam. 369—74.

De Electra Sophoclis.

Mos erat apud Græcos, ut easdem res, quæ jam antea ab aliquo poeta tragico tractatæ erant, posterior poeta suæ arti suoque ingenio convenienter in scena proponendas sibi sumeret. Quæ res, quam in eo positam fuisse ait Aristoteles, quod paucarum domorum res tragoediæ componendæ accommodatæ essent[1]), tantum tamen abfuit, ut artem tragicam reprimeret, ut haud sciam, an nihil plus ad eam excolendam valuerit. Ita enim factum est, ut, quæ a priore poeta optime erant condita, ea posterior assumeret; quæ vero minus placebant, ea emendare studeret. Hoc idem fecit Sophocles. Qui, quum pulcherrime intelligeret eas res, quæ in Choëphoris Aeschylus proposuisset, dignissimas esse, quæ iterum tractarentur, constituit in nova tragoedia eas oculis Atheniensium subjicere. Qua in tragoedia componenda multa ab Aeschylo inventa, quippe quæ egregie constituta viderentur, mutuatus est, multa, quæ consilio suo non convenire putaret, aliter proposuit. In quo est intelligendum Sophoclem, relicta Aeschyli auctoritate, non tetralogiis, sed singulis fabulis, ut testatur Suidas, certare solitum esse[2]).

---

[1]) Art. Poet. cc. 13, 14.

[2]) Verba Suidæ (s. v. Σοφοκλῆς) hæc sunt: **καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν**, quæ ita interpretanda esse censeo, ut Sophocles dicatur id primus instituisse, ut fabula certarent adversus fabulam, non certarent tetralogiis. Cfr. Boeckhii diss. de tetral. tr. Gr. p. 9 et Gr. trag. princip. p. 105. G. Hermanni Opusc. V. II. p. 307. Gruppei Ariadn. p. 46 sqq. Quam sententiam Welckerus (Gr. Tragöd. p. 83) verbis allatis subjicit: "Sophocles setzte nicht eine zusammenhängende Trilogie nebst Satyrspiel, sondern drei für sich selbständige Tragödien nebst Satyrspiel der einheitlichen Trilogie entgegen", illa quomodo in iis inesse possit, difficile est ad intelligendum. An quisquam dubitabit, quin vox **δράματος** l. l. idem sonet, atque latine fabula? Et vocem **τετραλογίας**, quæ apud alios scriptores quaternas eas fabulas, quæ una auditione ab uno eodemque poeta doctæ sunt, sive argumento connexæ sive non connexæ fuerunt, qua re ducti putabimus apud Suidam quaternionem prioris tantummodo generis fabularum significare? F. Schultzius, qui in comm. sua de vita Soph. p. 68 sententiam Welckerianam defendit, novam verborum Suidæ interpretationem periclitatur, quum dicit **δρᾶμα πρὸς δρᾶμα** idem esse atque **κατὰ δράματα** et **ἀγωνίζεσθαι** significare fabulam docere. Hanc autem vim non licere vocibus iis subjici dilucide Boeckhius l. l. p. 8 demonstrat. C. Fr. Hermannus (Lehrb. d. gottesdienstl. Alterthüm. d. Gr. p. 409) et Nitzschius (Sagenpoesie d. Gr. p. 475) rem ita expediunt, ut Sophoclem dicant id instituisse, ut poetæ, qui de præmio certarent, non jam quattuor deinceps fabulas uno eodemque die docerent, sed singulis sollemnium diebus singulas fabulas, quibus in judicandis judices eam legem observarent, ut, cujus poetæ omnes quattuor fabulæ placerent, is primo ornaretur præmio, cujus tres, secundo, cujus denique duæ, tertio.

Quod testimonium, tametsi sunt, qui elevare studeant atque etiam commenticium esse affirment[1]), ipsis tamen fabularum, quæ exstant, compositionibus comprobatur esse verum. Earum unaquæque ita est composita, ut per se totum quiddam sit, cui ad perfectionem absolutionemque nihil neque desit neque supersit. Vidimus in Choëphoris nonnulla esse, quæ spectantes non satis intellexissent, nisi res brevi ante vidissent in superiore fabula propositas; nonnulla, quæ ad posteriorem fabulam omnino pertinerent. Quam rem in artificiosa fabularum Orestiæ conjunctione positam esse explicavimus. Alia est ratio tragoediarum Sophoclis. Nihil in ulla ejus fabula est propositum, quod non possit ex ea ipsa perspicue intelligi; nihil, quod videatur alienum neque ad ipsam fabulæ actionem pertinens. Ad hanc unam actionem omnia referuntur. Ne tum quidem, quum res in pluribus fabulis proposuit, quæ ad eandem memoriam pertinerent, non ita eas fabulas composuit, ut per se quæque omnibus suis numeris et partibus perfecta expletaque esset. Ut videmus factum esse in Antigona et Oedipo Tyranno et Oedipo Coloneo, quæ tragoediæ, quamquam in domo Labdacidarum omnes versantur, alia alio tempore in certamen committebantur[2]). Omnem igitur, quam potuit, curam atque operam omnemque artem in singulas tragoedias artificiose componendas Sophocles contulit, ut spectan-

---

At parum verisimile est, quaternas illas tetralogiæ fabulas, quæ argumenti perpetuitate conjunctæ fuerunt, cujus generis tetralogiarum exempla, etiam post inventum Sophoclis in certamen commissarum, certa sunt, ut Philoclis Pandionis et Meleti Oedipodia (Welck. Gr. Tr. p. 892 sqq.), non est, inquam, probabile, ejusmodi fabulas aptissime inter se nexas diversis diebus actas esse. Propius ad veritatem rei accessisse videtur Sauppeus (Comm. de elect. jud. in certam. music. quæ Dionys. ageb.), qui ex Av. Aristoph. vv. 785—89 colligit uno die ante meridiem totam tetralogiam tragicam actam esse, pomeridiano autem tempore comoediam. — Quod putat Bergkius (Comm. de vita Soph. p. 39) loco Suidæ allato nihil aliud significari nisi Sophoclem auctorem fuisse, ut "minoribus festis liberalibus agrestibus, ubi tetralogiis vel propter temporis angustias vel propter arctiores opes nullus fuit locus, singulares ederentur tragoediæ", id ut verum esse existimem nullo modo a me impetrare possum. An potest quicquam incredibilius esse, quam Sophoclem, qui princeps suæ ætatis poeta tragicus et erat et habebatur (cfr. vit. Soph. græce script. in ed. Bergkian. Xenoph. Memor. 1. 4, 3; Cic. Or. 1. 4.) minoribus tantum festis certamen iniisse vel, ut concedamus eum nonnumquam etiam tetralogiis certavisse, quamquam nihil de iis memoriæ proditum est, præclarissimas ejus, quæ exstant, tragoedias, quæ summa laude ab omnibus antiquitatis scriptoribus efferuntur, satis dignas non habitas esse, quæ Dionysiis magnis in scenam committerentur?

[1]) Ut facit Schoellius (üb. die Tetralogie d. att. Theaters p. 29, 38), qui nihil aliud id esse opinatur nisi temerarium grammatici cujusdam commentum.

[2]) Verisimillimum est Antigonæ fabulam actam esse Ol. 84. 3; Oedipi Tyranni 87. 2; Oedipi Colonei 94. 3. Cfr. F. Schultzii comm. de vita Soph. p. 78 sqq.

tibus eæ non minus, quam tetralogiæ Aeschyleæ satisfacerent. Quod ut efficeretur, majore varietate ac motu actionem insignem eo reddere studuit, quod et numerum agentium[1]) augebat et res magis implicabat. Multoque majore cum studio atque elegantia in moribus personarum describendis versatus est, quam Aeschylus, qui eos non tam coloribus depinxit, quam extremis lineamentis adumbravit. Ac personis primariis, quo magis insitam omnem ingenii animique vim atque copiam explicarent et manifestam facerent, non modo adversarios opposuit, sed socios etiam sæpe adjunxit, qui, quum aliter essent morati, aliter de rerum statu, qualis vere esset, cogitarunt. Qua dissensione factum est, ut illæ, quum ab iis etiam, quos rebus suis fauturos sperassent, desertas se viderent, omnem spem in se ipsis reponere cogerentur omnesque animi vires in causa sua tuenda expromere. Ut in Antigonæ tragoedia Ismene non minimum efficit, ut Antigonæ constantia et animi fortitudo in suo lumine collocaretur. Neque alia de causa Chrysothemim Sophocles Electræ addidit, nisi ut morum diversitate hujus plane singularis animi magnitudo eo magis emineret mulierumque vulgarem naturam quanto superaret quam maxime eluceret.

Sophocles igitur, quum in una tragoedia, quæ totum per se conficeret, propositas vellet eas res, quæ in media Orestiæ fabula Aeschylus tractaverat, multum quum rebus tum verbis ab Aeschylo recederet necesse erat. Satis sit hoc loco animadvertisse Sophoclem non induxisse furias post matricidium Orestem vexantes: cui vexationi Aeschylum vidimus tantum tribuisse, ut ad Eumenidum fabulam componendam argumentum id adhiberet. Constat apud Homerum tantum abesse, ut Orestem furiæ agitent, ut ipsa Minerva eum Telemacho ad imitandum proponat facinusque ejus summis laudibus efferat[2]). Homerum igitur Sophocles auctorem secutus est. Scenam Mycenis, non Argis collocavit[3]); Agamemnonem non in balneo a Clytæmnestra, sed ad coenam ab Aegistho et Clytæmnestra conjunctis trucidatum esse refert[4]); Orestem, divina auctoritate confirmatum, nullis exterritum minis consilium parricidas nece afficiendi capientem facit: quam rem summa cum animi tranquillitate atque constantia gerit neque umquam matricidii atrocitatem secum reputat; Clytæmnestram autem et Aegisthum nulla alia re ad nefariam Agamemnonis cædem faciendam impelli facit nisi libidinum illecebris adulteriique cupiditate. Quam culpam illorum, quæ nihil excusationis habet, Sophocles etiam eo voluit auctam, quod

[1]) Cfr. annot. 1. p. 26.

[2]) Od. 1. 298. [3]) Cfr. Od. 3. 305; Il. 7. 180.

[4]) Cfr. Od. 4. 92, 535; 11. 410; 24. 97; El. 195, 203, 206.

Orestem puerulum, quum Agamemnonem necarent, morte affecissent, nisi dolo iis surreptus esset. Ita multo scelestiores Sophocles parricidas exhibet, quam Aeschylus, qui et illos suo quemque odio, quod justum putarent, ad facinus committendum induci neque Agamemnonem non magna culpa teneri fingeret. Qua re effecit Sophocles, ut spectantes non modo nullam poenam graviorem existimarent, quam qua impii illi homines digni essent qui afficerentur, sed exspectarent etiam omnes ac postularent, ut tantam impietatem dii gravissime punirent. Neque vero alia etiam re ad inauditum matricidii facinus impelli, alia etiam re scelera parricidarum augeri noluit Sophocles. Aeschylus jam in Choëphoris Electram servæ loco haberi finxerat. Hoc invento Aeschyleo Sophocles prudentissime usus est. Conditionem Electræ multo pejorem exhibuit. Acerbissimo eam odio parricidæ persecuti sunt, quod Orestem e manibus illorum, patrem interficientium, surreptum ad Strophium servaverat quodque imperium illorum æquo animo ferre noluit, sed perpetuis lacrimis occisum patrem prosequebatur, in illos autem odium expromebat capitale. Quo factum est, ut sordida eam et servili induerent veste, ut servorum eam cogerent munere fungi, ut usus vitæ necessarios ei vix præberent, ut ne manus quidem ab ea abstinerent, ut ad extremum constituerent eam in loco subterraneo includere[1]). Horum autem nihil Electram a morte patris semper deploranda avocare potuit. Flebili sua lamentatione, qua noctes diesque afflictatur, et patrem honorare et vitæ parricidarum sollicitudinem afferre voluit. Fratrem suum, quem puerulum fideli famulo tradiderat educandum, ut quando patrem ulcisceretur, adultum jamdiu exspectat. In eo omnem salutis spem ponit. Non dubitat, quin et poenas ab interfectoribus patris repetiturus sit et calamitate se ipsam liberaturus. Quumque subito nuntius affertur, Orestem in certamine equorum periisse, animo non succumbit, sed patrem suum ipsa ulcisci decernit. Hoc consilio capto, quo non minimum suam animi fortitudinem præstitit, Orestes ei imprudenti præsto est et injurias, quæ ei gravissimæ a parricidis essent illatæ, quum videt ipse tum audit. Nihil mirum si, quum sororem suam, cui vitam deberet et quæ tanta in patrem pietate ornata esset, ut omnia perferre, quam eam violare mallet, indignissima quæque propter hanc ipsam virtutis laudem pati videret, summa incenditur cupiditate ab iis poenas expetendi, qui his tantis sceleribus scelera sua priora cumularent atque adaugerent. Matrem, quæ talia in suos admisisset, qualia Clytæmnestra fecerat, non potuit amplius matris loco habere, sed pro scelestissimo homine ducere. Quæ nefaria morte eum affectum voluisset,

[1]) El. 191; 189, 597, 1192; 192, 265; 1196; 379—82.

quocum sanctissimo matrimonii vinculo erat conjuncta, ex quo etiam liberos conceptos genuerat; quæ non solum filio suo necem parasset, sed etiam filiam pessime haberet, nonne omnia et conjugis et matris jura ipsa dimisit? Quumque diceret se ad facinora illa facienda amore filiæ suæ Iphigeniæ commotam esse, quis est, quin videat eam honesta præscriptione scelera sua tegere voluisse? An ex liberis debuit uni tantum amoris, ceteris nihil? Accedit quod, procul a domo educatus, matrem numquam Orestes, quod quidem posset meminisse, viderat, scelera autem illius non modo e pædagogo, verum etiam e nuntiis a sorore identidem missis semper audiverat. Quamobrem non minus alienam sibi eam, quam Aegisthum, judicavit. Ac pædagogus animo ejus a prima pueritia officium ulciscendi penitus infixerat. Quod officium illis temporibus, quibus hæc geri finguntur, pro sanctissimo habebatur. Quæ quum ita essent, Sophocles, qui multo accuratius, quam quisquam alius poeta tragicus, mores eorum temporum, quibus fuerunt ii homines, quos in scenam inducit, non dubitavit Orestem non modo matricidium sine ulla hæsitatione et apud animum statuentem et re peragentem, verum etiam antiquissimam de Oreste memoriam sequens sine metu, ne tætrum quid proponeret, furiis persequentibus vacantem inducere[1]).

[1]) Antiquissimæ de Oreste memoriæ furias matricidium persequentes ignotas prorsus fuisse ex Homero licet concludi non solum ideo, quod summa semper laude facinus Orestis celebrat, sed eo etiam multo magis, quia, quamquam domesticas cædes commemorat multas, ut Od. 15, 272. Il. 2, 662. 13, 697. 15, 336. 16, 573. 23, 87. numquam tamen earum auctores neque a furiis agitari nec expiationes ullius generis subire tradit. In exsilium illos quidem post cædem factam ivisse refert, non tamen quod deorum religiones et hominum coetus a se præsentibus contaminari putarent, sed ut periculum ab occisorum propinquis, quorum esset poenas repetere, fuga vitarent. Quamobrem si Homerum auctorem sequimur, facile nobis persuadetur antiquissimis temporibus, qui cædem fecissent, in deos nihil, quod piaculis expiari opus esset, commisisse putari. Infeliciores habebantur homicidæ, quam impuriores. Quamobrem videmus eos ab eo, cujus patrocinium implorant, benevole accipi sine ullo metu, ne consuetudine eorum utens contaminetur, ut Orestes (Od. 15, 255—86) sacra faciens Theoclymenum benigne nave sua recipit eoque non expiato amice utitur. Quæ quum ita sint, nihil mirum, si Orestem, qui, quum parricidas necaret, nihil nisi officium suum expletum vellet, furiæ apud Homerum non insectantur. An E. Curtium secuti (Griech. Geschichte I. p. 126) dubitabimus, quin Homerus heroicæ ætatis hominum de diis opiniones deque ejusmodi rebus, de quibus hoc loco quærimus, recte proposuerit? Quis tandem est, qui verius nobis, quam Homerus, illorum hominum mores atque religiones exposuerit? An fidem ei de aliis rebus habebimus, de aliis non item? Equidem non puto. Persuasum mihi est ab Homero veram heroicæ vitæ imaginem expressam esse, hujus autem vitæ rationem longe aliter fuisse comparatam, quam eorum hominum, qui et ante heroica illa tempora et post ea fuerunt. Quæ magnæ commutationes rerum civilium factæ sunt illo tempore, quod intererat inter Homerum et bellum Persicum, ad ingenia

Neque tamen veritus esse non videtur Sophocles in ipsa cæde proponenda nimis versari. Secundas partes Oresti tribuit. Initio tantum

---

moresque hominum commutandos non plurimum valere non potuerunt. Majore rerum usu docti, quam superiores homines, pluribus ex partibus considerabant res humanas eæque quomodo e numine deorum penderent secum reputabant. Turbulentis illis temporibus, ubi tot tantaque scelera atque injurias viderunt omnes, fieri non potuit, quin in causas malorum diligentius inquirerent. Unde factum est, ut se ipsos in culpa esse sentirent neque vero indigni sibi viderentur, qui poenas luerent. Quoniamque quanto magis culpæ conscii sunt homines, tanto certior eorum de justitia divina opinio fit, nihil dubitarunt, quin serius ocius se dii punituri essent. Ad lustrationes igitur et ad piacula se conferunt, ut numen divinum placarent. Hæc quam vera sint, facile is intelliget, qui lyricos poetas perleget. Multo alias apud eos, quam apud Homerum, inveniet opiniones de rebus et divinis et humanis. Quid ergo? quæ illi poetæ cecinerunt, dicet fortasse quispiam, tu ea existimas omnes illius ætatis homines sensisse? Ego vero ita existimo, bonum semper poetam verbis exprimere non modo sensa suæ mentis atque consilia, sed quæcumque sunt medullis inclusa omnibus æqualibus eosque maxime vel sollicitant vel delectant. Quod si hanc vel illam fabulam, quam apud Homerum invenimus, aliquantum mutatam lyrici persecuti sunt, hanc fabulæ mutationem persuasum habeo aut ore hominum jam perfectam esse aut certe moribus mutatis vehementer concinere: ut Stesichorus quum primus, quem quidem noverimus, a furiis agitatum Orestem induceret, nihil aliud faceret, nisi famam de Oreste, ut in ore hominum tum vigebat, carmine celebraret. Cfr. Lobeckii Aglaophamum, quo libro perlecto neminem puto non facile sibi persuasurum, illo tempore, quod nuper dixi, Græcorum ingenia ac mores quam maxime mutata esse. Non possum me continere, quin hæc pp. 312 et sq. l. l. egregie proposita afferam: Post decursum illius felicissimi ævi, cujus imaginem in Homero carminibus expressam videmus, magna rerum civilium, sed multo major religionum, studiorum, voluntatum conversio consecuta et universa Græcia in tantum mutata est, ut si quis ab Homeri lectione sese ad eos scriptores transferat, qui tempore belli Persici vixere, velut in aliam oram delatus vix illos veteres Achæos agnoscere sibi videatur, qui læti præsentibus, futurorum securi, prompti ad agendum, actorum immemores, sollicitudinis et superstitionis causas procul habebant. Sed ubi Græci adolescente paulisper ratione involutas animi intelligentias excutere et semetipsos cognoscere coeperunt, tum illa successit maturior ætas et sollicitior, ad quam profecti homines tum voluptatum tum virtutis stimulos acrius acutiùsque persentiscunt, inter damnata appetitaque alternis fluctuantes, magno cum animi motu et sæpe tædio sui. Hinc rerum abditarum cura et venturi præsagia et multiplices superstitiones, quas salutis desperatio scelerumque conscientia progignere solet. Cujus novæ ætatis in Græciam ingressum et vestigia quominus clare cernamus obstet illius temporis obscuritas, quod nullis fere literarum monimentis illustratum regionis simile dici potest coecis nubilis obductæ, unde arcium culmina eminent, solum et fundamentum latet. Sed magnum quendam ingeniorum æstum et nova meditamenta testatur poesis lyricæ paullo post Hesiodum increbrescentis perfectio et philosophiæ ortus et artium elegantiorum incrementa. Jamjam templa dis heroibusque magnifice condi, ludos solemnes oppidatim institui, sacerdotum munera et insignia, abrogato præsertim regio imperio, gliscere videmus. Sed iisdem temporibus etiam mysticas cærimonias, quarum prima, ut

fabulæ et in exitu eum in scenam inducit. Maxima celeritate matricidium ab eo peragi facit: quod facinus quale esset quominus secum cogitaret Orestes, prohibuit adventus Aegisthi, quem statim interiorem domum, ut necaretur, intrare jussit. Electræ autem primas tribuit partes. Eam per totam fere fabulam in scena se continentem facit[1]. Ejus in moribus describendis versatur quam diligentissime. Ea quanta vehementia, quanta animi fortitudine, quanta constantia, quanta denique pietate prædita sit, præclarissime ostendit, quum in summa eam discrimina, posteriora prioribus majora, vocatam nullis neque præmiis nec minis periculisque commoveri facit, ut a recta conscientia ne transversum quidem unguem discedat. Atque Electræ natura quo facilius appareret, Chrysothemim ei sororem adjunxit, mulierem bono illam quidem ac leni ingenio, sed non satis magna animi vi atque altitudine instructam. Quam quum Sophocles fingeret, sine dubio ante oculos habuit Ismenen, Antigonæ sororem, quacum Chrysothemidi magna est morum similitudo. Illa sicut Antigonæ imprudentiam ac stultitiam exprobrat summoque studio ei suadet, ut imbecillitatis suæ muliebris memor potentioribus cederet, quamquam agnoscit eam vera sentire[2], simillime Chrysothemis Electram recte intelligere illa quidem concedit, sed imprudentiæ esse dicit ac temeritatis tempori non cedere, quippe quum imbecillior contra potentiorem nihil efficere possit, nisi ut res suas in pejorem locum adducat[3]. Et Ismene et Chrysothemis prudentiæ magis, quam sapientiæ partes tuentur, incolumitati suæ diligentius, quam officio consultum volunt. Contra sorores. Nihil antiquius habuerunt, quam ut officii præcepta persequerentur, nihil magis reformidandum, quam in officio claudicarent. Qua de sententia ut decederent, nihil neque preces sororiæ nec metus a tyrannis, ne mors quidem proposita eas adducere potuerunt. Unde facile apparet Sophoclem ut, quum in Antigonæ tragoedia personam Ismenes induceret, vel clarissime videri voluit, quantum Antigona excelsitate animi eluceret, ita, quum

diximus, vestigia in carminibus Hesiodeis et Cyclicis apparent, longe lateque fusas esse omnemque vitam novis occupasse superstitionibus, manifestum facit multitudo præstigiatorum, qui inde usque Græciam pervagati sunt non solum cædem et sanguinem, sed etiam prodigia, sacra commissa et quidquid piaculorum seu singuli seu populi suscepissent, secretioribus quibusdam ritibus expiantes. Cfr. Anacr. c. 31. J. Overbeckii Geschichte d. griech. Plastik I. pp. 43, 65 sqq. Nitzschii Beiträge z. Gesch. d. ep. Poesie p. 197.

[1]) *Ὑπόθεσις· παρεισάγει αὐτὴν ἐν τούτῳ τῷ δράματι θρηνοῦσαν ἀεὶ καὶ στενάζουσαν καὶ λυπουμένην καὶ ἐπιμένουσαν καὶ οὐχ ὥσπερ τὰ ἕτερα πρόσωπα ἀπερχομένην.*

[2]) Antig. vv. 61, 63, 68, 99. Cfr. G. Thudichum: zu Sophocles Antigone pp. 10, 14. Darmst. 1858.

[3]) Elect. vv. 335, 338, 396, 398, 995, 1001—4, 1042.

in Electra Crysothemim fingeret, animi fortitudinem Electræ quam maxime perspicue oculis spectantium propositam voluisse [1]). Ac primas partes quemadmodum Sophocles Electræ detulit ejusque potissimum studio animos auditorum retineri voluit, sic totam fabulam Electræ nomine appellavit [2]). Aeschylus, qui Oresti primas dedit, Electræ partibus multo minus tribuit. Neque vero apud eum ulla umquam fit mentio Chrysothemidis. Quod tamen non impedit, quominus eam si non e memoria populari, at ex Homero [3]) cognitam habuerit, etsi quum artis suæ simplicitati tum consilio fabulæ alienum putavit in scenam eam inducere.

Quam hac in universa tragoedia componenda rationem secutus sit Sophocles, videtis. Qua intellecta multo facilius erit de singulis partibus recte existimare, ad quas considerandas nunc, si placet, transeamus. Ac primum quidem videmus, ut ante commemoravimus, scenam a Sophocle, Homerum imitante, Mycenis esse collocatam. Locum repræsentat ante ædes regias Pelopidarum, quarum a sinistra celeberri-

---

[1]) Quæ de Antigona disserens pulcherrime prædicavit Frei. (üb. d. griech. Tragödie p. 25): Wie schön hat der Dichter durch diese edle, liebvolle, aber mehr natürlich einfache Schwester, die nur thut, wozu jedes andere Weib auch fähig ist, die über dem gewöhnlichen stehende, ideale Grösse der Hauptperson hervorgehoben! Ismene ist die echte, zarte, edle Weiblichkeit; Antigone die Heroin, die ihren grossherzigen, männlichen Entschluss, einmal gefasst, ohne einen Augenblick zu wanken durchführt, die That offen eingesteht, und, wenn auch klagend, doch nicht gebrochen zum Tode geht! hæc eadem in Electra dici possunt. Cfr. F. W. Ullrichii Diss. üb. d. relig. u. sittl. Bedeut. d. Antig. des Soph. p. 19. G. Wolffii Sophocles Electra p. 121. J. Fechneri diss. üb. d. sittlich-relig. Weltanschauung des Soph. p. 40.

[2]) "Non Electræ tantum nomine insignitur fabula, sed tota fere fabula Electra est, ad Electram omnes tragoediæ partes referuntur, omnia ad Electram spectant, Electra ubique apparet, conspicitur, adest." Verba sunt Limb. Brouweri in comm. de rat. qua Soph. vett. de administr. et just. div. nott. usus est, ad volupt. tr. aug. p. 157.

[3]) Homerus (Il. 9, 145) Agamemnonem ipsum facit dicentem tres sibi domi filias esse Chrysothemim et Laodicen et Iphianassam. Totidemque Euripides (Orest. 23) commemorat, sed eas Chrysothemim et Iphigeniam et Electram. Laodicen eandem esse atque Electram et Xanthus poeta, ut narrat Aelian. 4. 26, diserte dicit et causam, quare hoc nomen invenerit, eandem affert, quam Euripides Elect. 118—19. Iphigeniam autem quartam fuisse Agamemnonis filiam tradit Stasinus in Cypriis (v. Welckeri ep. Cycl. p. 124 et schol. Soph. El. 152). Homerus ut eam ignoraverit, perperam Hermannus ad El. v. 154 ex eo vult effectum, quod ejus mentionem Agamemno l. l. non facit. Nihil enim habuit, quod Iphigeniam, quæ multo ante mortua erat, ibi nominaret, ubi, quæ tum sibi essent filiæ, commemoravit. Euripides eam l. l. nescio quomodo omisit, ut in Iphig. Taur. v. 562 sqq. non solum de Iphianassa, sed etiam de Chrysothemide tacet.

mum Junonis Argivæ templum conspiciebatur, a dextra lucus Ius et forum Argivum, quod Lycium appellabatur. Hanc in scenam pædagogus Orestis peregre et cum eo Orestes et Pylades procedunt, maximamque ii prologi partem agunt. Prima luce Mycenas pervenire finguntur. Qua re Sophocles videtur voluisse quum id declaratum, qui fieri posset, ut ante regiam peregrini a nullo visi aliquamdiu versarentur et sermonem conferrent, tum illud significatum, Orestem deo lucis non modo approbante, verum etiam quasi comitante munus ulciscendi exsequendum suscepisse. E sermone pædagogi statim cognoscimus, jam diu Orestem desiderio patriæ flagrasse domumque tum rediisse, ut rem conficeret, quam ob rem eum Electra soror, neci ereptum, servasset, et pædagogus educavisset. Ab Oreste deinde audimus, Apollinem Pythium consulenti respondisse, ut dolo usus malo, non armato exercitu instructus, mortifera vulnera parricidis ad ultionem ipse inferret eundemque præcepisse, ut Orestes, antequam rem susciperet, tumulum patris libamenti honore afficeret et cincinno honoraret. Cui responso obsequens pædagogum Orestes regiam intrare jubet, ut, quæcumque intus gererentur, omnia, quum cognovisset, foras ad se certa referret. Aditum ita pararet, ut, nuntium a Phanoteo missum simulans, mortem Orestis, quam ludis Pythicis forte fortuna occubuisset, dominis narraret[1]. Ipsum autem ait se ad ædes, inferiis patri oblatis, venturum, tamquam si cinerem sui mortui in urna conditum gestaret. Deos denique patrios et patriam non modo terram, verum etiam domum, quam ut lustraret atque restitueret a diis missus esset, obtestatur, ut ad propositum consequendum se adjuvarent. Extremam prologi partem Electra agit, quæ in scenam, simulac priorum ad suum quisque munus discessit, e domo regia egressa appetentis jam diei lucem testatur, quanto luctu quantoque plangore patrem suum misere occisum noctes ac dies domi sola prosequeretur. A quo luctu numquam tamen se destituram ait semperque deos ultores imploraturam, ut fratrem domum mitterent præsentique auxilio ad patrem ulciscendum juvarent.

---

[1]) Quod jubet Orestes pædagogum jurejurando nuntium allatum confirmare, non est prætermittendum, quippe ex quo intelligi possit, Græcos ea fuisse opinione, fas esse quibusvis artibus uti, ut hostem superarent. Astutia et calliditas non minoribus laudibus efferebantur, quam animi ferocitas ac fortitudo. Utrumque munus divinitus ad homines delatum existimabatur. Ulixes igitur calliditatis laude non minus celebratur, quam fortitudinis aut Achilles aut Ajax aut alius quivis. Videmusne, ut apud Homerum (Od. 19. 395) Autolycus prædicetur, quod astutia et perjurio omnes homines præstiterit. Ap. Aeschyl. (fr. 367 ed. Herm.) hoc scriptum est: *ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός. Ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ὅπου τιμᾷ θεός.* Cfr. Welckeri Götterlehre I. 346. Hoc loco dolum videmus etiam oraculo commendatum.

Ex his omnibus rebus satis dilucide apparuit spectantibus, in quo actio fabulæ posita esset et unde proficisceretur. Apparuit Orestem, Agamemnonis filium, clarissimi illius Græcorum ducis, domum eo consilio rediisse, ut patris vindicandi causa necem parricidis inferret et domum patriam restitueret. Apparuit eum non modo sua voluntate et monitis pædagogi commotum, verum etiam Apollinis Pythici auctoritate confirmatum ad rem peragendam aggredi. Apparuit Electram sororem præcipuam in partem actionis vocatum iri, quippe quæ e media morte eripuisset Orestem neque esset complurium annorum miseria adducta, ut dolorem, morte patris conceptum, quicquam sedaret, sed maxima in eum caritate capta, acerbissimo autem in interfectores odio incensa, a diis ultoribus etiam atque etiam poenas imploraret. Apparuit denique quomodo res, in qua actio fabulæ verteretur, futurum esset, ut gereretur. Atque homines ii, qui in prologo in scenam inducti sunt, non tam narrantes, quam agentes, hæc omnia spectantibus exponunt. Pædagogus, itinere nondum confecto, loca patriæ oculis oblata Oresti ostendit, quæ ubi oculis sunt perlustrata, Orestem et Pyladem cohortatur, ut quid sit agendum quam primum deliberent. Orestes igitur constituit, pædagogum in domum intromittere, ipsum autem cum Pylade primum tumulo patris inferias afferre, deinde ad ædes accedere. Hoc consilio exposito preces diis adhibet eorumque auxilium implorat. Quo facto Electra, in scenam prodiens, et patrem lamentatione sua honorat et deorum inferorum fidem et opem orat atque obsecrat. Neque vero ad animos spectatorum tenendos et commovendos non aptissimæ sunt eæ res, quæ hoc in prologo ante oculos ponuntur. Vident clarissimi regis filium, cujus quoniam pater a matre ipsa ejusque adultero impie trucidatus erat et patrium regnum a parricidis tenebatur tamquam exsul a puerulo peregre ætatem degerat, duobus tantum comitibus, quorum alter erat senex servus, alter amicus hospes, domum redeuntem ac solum natale primum domumque patriam spectantem. Vident filium et officii religione adductum et divina auctoritate ornatum venisse, ut par pari referendo a matre sua socioque illius poenas repeteret. Vident denique ejusdem regis filiam, cui vitam filius acceptam referret, maximo moerore oppressam, ex afflicta Pelopidarum domo, ubi inulta patris morte quotidie deploranda ac vindice fratre exspectando se ipsa conficeret, egredientem in eundem locum, quem exoptatissimus idem frater, ea insciente, nuperrime reliquisset.

Virtutibus igitur iis omnibus instructus est hic prologus, quæ ab illa tragoediæ parte desiderantur[1]). Hunc si conferemus cum Choëpho-

---

[1]) Cfr. ann. 2. p. 15.

rorum prologo, multa reperiemus ab illo assumpta Sophoclem ad suum consilium suamque artem accommodasse. In utroque Orestes conspicitur in patriam occulte redire, ut officium patris ulciscendi exsequatur, sed apud Sophoclem non Pylade solo comitatus, verum etiam pædagogo, qui quum ducis tum monitoris partes sustinet. Orestes Aeschyleus tumulum patris, qui in ipsa scena est, cincinno ornare fingitur; Sophocleus idem se facturum dicit, tumulus autem a scena erat remotus. Quam mutationem Sophocles ideo fecit, quod non tantum, quantum Aeschylus, inferorum potestati tributum voluit Electramque ut, dum Orestes in sepulcro patris honorando occupatus erat, in scenam introduceret et ingenium ac mores ejus ante oculos spectantium positos plene et perfecte exprimeret. Quod ut efficeretur, necesse erat quemadmodum aurum igni, sic Electram gravissimis periculis spectari. Hæc eadem erat causa, quamobrem ad exitum fere fabulæ agnitionem differret ac non, ut Aeschylus, in primo jam episodio fieri fingeret. Ac sicut Orestes Aeschyleus inter virgines chori procedentes Electram sororem videre sibi videtur, ita apud Sophoclem Orestes, ubi ante regiam commorans vocem intus lamentantis exaudit, sororis illam esse suspicatur. Sed quum hic, ut ille consistere vellet, ut rem satius comperiret, pædagogus admonuit nihil prius esse curandum, quam præcepta Apollinis[1]): qui quoniam libamentum mortuo patri offerri jussisset, inde esse omnia incipienda. Quibus monitis obtemperans cupiditatem sororis conveniendæ Orestes repressit et ad sacrificandum abiit. Quo fiebat, ut quum Electra procederet, Orestes jam abesset agnitioque, antequam rediisset, fieri non posset. Quamobrem quo falso de morte sua nuntio parricidas Orestes voluit circumveniri, eodem Electra fallitur, adventus fratris prorsus ignara. Quæ res non minimum valuit ad morum ejus gravitatem aperiendam. Hac etiam re factum est, ut agnitio fieret, quum Electra ad summam salutis desperationem redacta esset. Hinc spectaculum illud, ubi urnam, qua cinerem fratris contineri arbitrabatur, manibus tenens, intestinum suum atque acerbissimum dolorem oratione conquestionis ac desiderii plenissima exprimit: qua quid ad animos spectantium commovendos magis aptum cogitari potest? Jam vero in prologo, qui exstat, Choëphororum, quamquam quidem nulla fit mentio oraculi Apollinis, tamen non dubito, quin ut apud Sophoclem, ita apud Aeschylum Orestes jam primum progressus, quibus potissimum rebus commotus ad munus ulciscendi persequendum se conferret, professus sit. Orestem Aeschyleum quam maxime decebat, quum in-

[1]) Hac pædogogi admonitione non potest memoria non unicuique afferri Pyladis Aeschylei, qui Orestem, quum matrem interfecturus animo hæsitaret, de oraculo Apollinis admonuit. Choëph. vv. 900—3.

feros ad opem sibi ulciscenti ferendam impellere vellet, auctoritatem Apollinis afferre. Verumtamen paucis tantum illo loco eam perstringere conveniebat consilio Aeschyli. Qui quum vellet rem, et choro et Electra consciis atque adjuvantibus, ab Oreste peractam, aptius erat quum ipsum præceptum Apollinis tum quomodo illud exsequi constituisset tum demum copiosius exponere, quum post agnitionem una cum iis esset Orestes cum iisque de re gerenda deliberaret. Hanc autem expositionem Sophocles Orestem jam in prologo facientem aptissime inducit, quippe quem, pædagogo solo adjutore, rem aggredi vellet. Atque oraculum Aeschyleum Sophocles retinuit, etsi aliis id verbis expressit. Summa illius apud utrumque poetam hæc est: par pari ut Orestem referre oporteret. Ut Agamemno ex insidiis perierat, ita parricidæ ei erant insidiose trucidandi[1]). Quas autem minas Apollo apud Aeschylum præcepto suo addidit, eas alienas esse Sophocles existimavit, propterea quod pietatis esset, sua sponte deorum voluntati obsequi, nullo metu cogente. Falsum jam nuntium, quod inventum erat Aeschyli, Sophocles etiam Orestem de morte sua ipsius ad parricidas perferentem fecit. Majorem vero cautionem adhibens non ipse nuntium affert, sed pædagogum mittit, locorum magis peritum, qui ab hospite se missum esse, ut jucundam illam rem narraret, dictitans, postquam aditum in ædes regias paravit, res quo loco intus essent, cognosceret cognitasque foras referret. Quibus partibus pædagogo commissis effectum est, non solum ut fides nuntii, quippe qui ab amico parricidarum afferretur, non paululum augeretur, sed etiam ut Orestes matrem tum demum videret, quum cædes ei esset facienda. Qua eadem re factum est, ut Electræ frater non prius redderetur, quam acerbissimas ea omnes calamitates hauserat et animi spectantium misericordia illius quam maxime erant commoti. Quæ misericordia quanto major erat, tanto minor morientis Clytæmnestræ, quæ auctor esset harum omnium miseriarum. Utque in prologo Choëphororum, ita hic Orestes rem ope divina susceptam vult. Patriam obsecrat ac deos patrios, ut propitii se reciperent et restitutorem se redderent domus patriæ. Electra jam, quæ apud Aeschylum prodiens conspicitur virginibus comitata eodem, quo ipsa, luctu conspicuis, hic sola summo dolore insignis seseque de calamitate sua gravissime afflictans in conspectum venit. Quæ ipsa res indicat, alteram in altera esse conditione fingi. Et apud Aeschylum e parodo exque Electræ primo jam sermone apertum fit, eodem in parri-

[1]) Aesch. Choëph. v. 274. *οὔτοι προδώσει Λοξίου μεγασθενὴς χρησμὸς -- τρόπον τὸν αὐτὸν ἀνταποκτεῖναι λέγων --.* v. 556. *ὡς ἂν δόλῳ κτείναντες ἄνδρα τίμιον δόλῳ τε καὶ ληφθῶσι ἐν ταὐτῷ βρόχῳ θανόντες, ᾗ καὶ Λοξίας ἐφήμισεν --.* Soph. El. 37. *χρῇ μοι τοιαῦθ' ὁ Φοῖβος -- δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς,*

cidas animo esse famulas atque Electram, e carmine autem lugubri, quod apud Sophoclem Electra in scenam progressa canit, statim videmus cum nullo ei domi esse communem gravissimum de mortuo patre dolorem. Qua in solitudine hoc tamen affirmat, numquam se desituram miseram patris sortem deplorare, numquam deos ultores obtestari, ut poenis parricidas afficerent, ut fratrem domum restituerent.

Hoc carmen quum Electra caneret chorus hujus fabulæ per dextrum theatri introitum in orchestram procedit. Constat ex virginibus Mycenæis Electræ amicissimis, cujus luctum ut solatio suo levarent ad regiam venirent[1]). Ac locum suum postquam occupavit, Electram obtestatur, ne sempiterno luctu patris se afflictaret. Parricidium esse illud quidem maxime miserabile et tam nefandum facinus, ut dubitaret an hominem illius auctorem non duceret. Verumtamen prudentiæ esse, lacrimis eam et dolori temperare, quippe quibus nihil efficeretur, nisi ut mala augerentur, neque vero eo magis odii sui justissimi esse immemorem. Adventum fratris exspectaret constanter ac deorum auxilium, qui tantum scelus nequaquam dimitterent impunitum. Imitaretur sorores, quæ quamquam in luctu et ipsæ essent, sortem tamen suam patienter ferrent. His precibus respondens Electra, quæ brevi ante dixerat, ea omni asseveratione affirmat, se numquam, nisi poenas parricidæ dedissent, lamentationis finem facturam. Quid enim? Pietatis esse, misere necati parentis oblivisci et æquo animo interfectores salvos videre? Ita si esset, omnem pudorem omnemque hominum sanctitatem perituram. Quamobrem se quidem numquam id commissuram, ut patrem dolore ne prosequeretur, parricidis autem precaretur mala. Qua re etiamsi sortem suam pejorem redderet atque iræ et haberetur et esset impotens, id quod non dubitaret, rerum tamen necessitate coactam facere non posse, quin ita se gereret.

His carminibus alternis a choro et Electra cantatis apparet poetam voluisse spectantes docere, quo loco esset Electra et ratio quæ ei intercederet et cum choro et cum ceteris fabulæ personis eoque eos ad ea præparare, quæ essent futura. Ac vident eam ut intima in patrem caritate, ita acerbissimo in parricidas odio esse præditam. Quo animo ducta quod occisum patrem deplorare numquam desineret neque cædis auctoribus debitas poenas precari, pessime eam vident ab illis tractari. Vident eam impotentia quadam animi laborare, quippe quæ non modo chorum, quum dolorem ejus consolatione lenire vellet et in spem salutis vocare, discedere juberet, verum etiam ægerrime ferret, quod Ore-

---

[1]) Attendas velim metrum anapæstum, quo Electra carmen suum canens utitur, accommodatissimum fuisse ad ingressum chori.

stes opinione diutius cunctaretur domum redire, eumque ingrati animi accusaret. Vident sorores meliore conditione uti, quod tempori cedentes luctui patris modum adhiberent. Chorum jam vident e mulieribus constare nobili loco natis, quæ benevolentia ductæ, ut Electram amicam de miseria consolarentur in melioremque spem adducerent et ad majorem prudentiam adhortarentur, ad regiam accessissent. Ex quibus omnibus rebus perspicuum est, hæc carmina parodi locum fabulæ tenere. Quo genere parodi, in commo, quem vocant, consistentis, Sophocles ex iis, quæ exstant, fabulis, in Philocteta etiam et in Oedipo Coloneo usus est [1]). Similitudinem ea quandam præ se fert commi illius Aeschylei, quem ad sepulcrum chorus Choëphororum et Electra et Orestes cecinerunt, eumque videtur Sophocles ante oculos habuisse et, quantum proposito suo conveniebat, imitatus esse. Atque hanc parodum si cum Choëphororum parodo comparabimus, utriusque fabulæ choros in iis proloqui videbimus sibi esse persuasum fore, ut quando poenæ necis Agamemnonis crudelissimæ ab interfectoribus deorum opera repeterentur. Choëphororum autem chorus quum in iis solis cogitationibus versaretur, huic choro Electra curæ est maximæ. Quod dispar eorum studium in parodis jam prolatum quam optime respondet et partibus ipsorum diversis et diversæ fabularum rationi. Magno quidem societatis vinculo, ut oportebat, uterque chorus cum personis primariis erat conjunctus, ut magni interesset utriusque poenas a parricidis expeti, pluris vero chori Choëphororum, ut quem justo domino orbassent illi et quotidie injuriis afficerent. Quapropter etiam suam ipsius fortunam conqueritur [2]) et ad parricidium persequendum quum Electram tum Orestem vehementer suadet magnamque rei gerendæ partem ipse capessit. Virgines autem Mycenenses ut aliis nullis rationibus adductæ poenis interfectores Agamemnonis affectos cupierunt, nisi quod quum tanti sceleris auctores puniendos fas esse putarunt tum amicissimam sibi a miseriis voluerunt liberatam, sic non ita magnam rei gerendæ

---

[1]) Præter Electram et Philoctetam et Oedipum Coloneum Sophoclis decem ex duobus et triginta iis, quæ exstant, tragoediis Græcorum parodos, quas vocant commaticas, habent: Prometheus Aeschyleus, Euripidis Orestes, Medea, Iphigenia Taurica, Troades, Heraclidæ, Ion, Electra, Helena, Rhesus.

[2]) Chorus Sophocleus, si Ajacem exceperis, quam Schneidewinus (Sophocles V. I p. 67) argumentis haud contemnendis antiquissimam earum, quæ exstant, fabulam Sophocleam esse probat, suas res nihil curat, nihil de sua fortuna queritur, sed agentium rebus totum se tradit, de iis solis laborat. Cfr Aj. 254—5, 600—8, 900—3, 1185—91. Aeschylus autem nonnumquam, ut in Supplicibus et in Eumenidum fabula tantas agendi partes choro commisit, ut, quarum causarum conflictione nitebatur fabula, earum alteram teneret chorus. Idemque non semper vitavit Euripides, ut in Troadibus videre licet.

partem tenuerunt. Commiserantur Electram, student dolorem ejus consolatione levare, abjectam eam et jacentem excitant spe melioris conditionis proposita, a temeritate eam avocatam et ad mediocritatem adductam cupiunt. Ita enim saluti ejus optime se consulere arbitrantur. Atque hæc ut rationi fabulæ Electræ, ita illa Choëphororum consilio respondere, quis non videt? Hac enim in tragoedia Sophocles omnia in Electra vult posita, ad eam omnia relata, illius consiliis et factis animos spectantium retentos, in Choëphoris autem ad poenas ab interfectoribus Agamemnonis Oresti repetendas omnia revocantur. Sed jam satis multa de parodo. Transeamus ad primum episodium.

In hoc primum Electra, postquam chorus, qui, quæ monuisset, moleste eam ferre sensisset de propositoque intellexisset eam demoveri non posse, vincere eam jussit, si monita sua minus recta viderentur, ac benevolentiæ excusationem attulit, primum igitur Electra, ardore cupiditatum nonnihil restincto, causas, quamobrem modum in luctu adhibere ad mediocritatemque dolorem revocare nequiret, sedata oratione copiosius exposuit. Ac multas res affert et prope oculis subjicit, ex quibus apparet, quam turpiter atque insolenter in domo Agamemnonia dominentur parricidæ, quanta impietate sit Clytæmnestra, quanta impudentia, quanto animi impetu. Quæ in nece marito illata palam exsultat, quæ conjugio utitur socii sceleris, quæ filii sui vitæ insidias posuit, quæ filiam, quod fratrem servasset patremque amore et luctu prosequeretur, quam pessime habet eique etiam pejora minatur. Et Aegisthus quanta importunitate sit, quanta nequitia, quanta ignavia perspicue inde patet. Qui ornatu regali Agamemnonis instructus in solio ejus sedet, qui cum conjuge trucidati regis vivit, qui libationes ad focum domus Agamemnoniæ diis offert, qui matrem, acerbe in filiam et contumeliose invehentem, incitat. Talium hominum consuetudine uti coacta, quorum jussu munera servilia in domo patria ei erant præstanda, quid mirum, si Electra, qua erat animi justitia, contumaciter se gessit neque ea temperantia et moderatione animi usa est, quæ sapientis est propria? Accessit malis Electræ quasi cumulus, quod Orestes, officii sui immemor, domum redire dubitare ei videbatur, quamquam spem ei semper reditus ostentaret. Quod tanto pejus erat, quo magis mala domestica quotidie accrescebant quantoque severius in eam domini consulebant. Noverat etiam, si frater officium desereret, neminem ipsi adjutorem futurum ad patrem ulciscendum, neminem ipsi salutem expediturum. Sorores enim, quæ domi erant, iis moribus non fuisse præditas, ut cum Electra dominos aggredi auderent, quum chorus in parodo jam significaverat tum e sermone palam fit Chrysothemidis, quæ e domo regia egressa statim Electram

vituperat, quod non longinqui temporis usu et periclitatione didicisset, optimum esse tempori cedere, forisque quod luctui se dederet, quo nihil efficeret, nisi ut ad certum interitum rueret. Id quidem concedit, Electram optimo jure præsenti rerum statu dolere et parricidas in odio habere, negat tamen prudentiæ esse hunc animum præ se ferre, quippe quo vehementer scelerati irritarentur et severius in eam consulerent, ita ut servæ loco eam haberent. Jubet eam obsequentem se potentioribus præbere, si libera vivere vellet. Eadem igitur, quæ brevi ante chorus, Chrysothemis Electræ suadet. Quæ consilia tum eo acerbius tulit, quod a sorore data sunt, quæ eadem prorsus, atque ipsa, officii religione teneretur oportebat. Quamobrem acriter eam atque acerbe appellans dicit matrem, quam plus diligeret quam patrem ei, quæ monuisset, voce præivisse. Dicit, quæ ab ea dicta essent, indicare aut parum eam intelligentiæ habere aut pravitate animi insignem esse atque officii immemorem. Quod posterius putat esse verisimilius, quippe quum tantum abesset, ut sceleratis, quamquam posset, nocere vellet, ut etiam molestia eos afficientem prohibere conaretur neque in omnium rerum abundantia ab iis suppeditata ipsa vivere non dubitaret. Hujusmodi vitam ejus ignavia paratam nequaquam se invidere, sed magnopere repudiare ait et nihil pluris faciens quam conscientiam rectæ voluntatis sempiterno luctu voluit patrem honorare, sollicitare parricidas. A quo proposito ut recederet, ne id quidem eam commovere potuit, quod placuisse dominis Chrysothemis aperuit, ut in specum subterraneum eam, nisi luctum deponeret, includerent. Quin etiam optavit, id si statuissent, ut quam primum peragerent, quo prius inimicorum inviso aspectu vacaret.

Ex his rebus apparet, tantum apud Electram pietatem in patrem, tantum ulciscendi officium valuisse, ut cetera omnia iis inferiora duceret ac nihili faceret. Patris carissimi jura ut tueretur, omnia facit, hujus clarissimi viri indignissimam necem juste punitam vult, hæc res ut quando efficeretur, valde expetit, hoc unum cogitat, hoc pro viribus agit, pro hac re nihil ne vitam quidem profundere recusat. Nihil mirum igitur, si gravissime tulit, quod quisquam aliter sentiebat, eumque aut intelligentiæ inopem esse aut impietatis plenum putavit. Hæc erat causa, cur ad consilia sororis, quæ tamen a benevolentia profecta essent, tanto animi ardore elata responderet. Non potuit, qua ipsa erat animi ingenuitate ac fortitudine, sibi persuadere, Chrysothemim, quæ metu permota parricidarum dolorem celaret, vero amore patrem prosequi, sed pro certo habuit, eam patris immemorem vitæ tantummodo suavitati et commodis consulere velle. Ipsa ut fuit aperta, fortis, constans, ita a sorore postulavit, ut veram animi sententiam nemini

fronte occultaret, neminem umquam ut timeret, nihil de jure suo ne minimum quidem decederet. Denique quod ab ipsius moribus fuit alienum, idem sororem dedecere existimavit. Patet autem quum ex prima Chrysothemidis oratione tum e posterioribus multo magis intimo eam fuisse amore et in patrem et in sororem fratremque. Quo ipso amore ducta Electræ auctor semper erat cautionis temperantiæque et patientiæ, ne quid causa ea, quam defensam vellet, detrimenti caperet neve ipsa in capitis periculum veniret. Odium et ipsa Chrysothemis in parricidas habuit, sed compressum ac tacitum neque tam immane, cui non posset temperari. Leni erat ingenio ac facili, quo factum est, ut rebus afflictis non tam exacerbaretur, quam animum contraheret et ad voluntatem dominantium se accommodaret. Nullam fere spem melioris fortunæ jam habet ob eamque causam prudentiæ esse arbitratur, præsentem quam maxime posset tolerabilem reddere.

Hæc sororum ingenii morumque dissimilitudo e proximo etiam earum sermone manifesta fit, ubi Chrysothemis Electræ interroganti, quamobrem mater inferias patri mitteret, de somnio matris quid cognitum haberet, enarrat. Hoc enim Electra ubi primum audivit, certam continuo spem animo concepit fore, ut brevi parricidæ poenas diis adjuvantibus darent. Quod ut portenderetur, persuasum habet ab inferis missum esse somnium. Missa igitur omni orationis acerbitate blande sororem appellans obtestatur atque obsecrat, ne inferias a matre missas patri offerret, sed tumulum ejus crinibus e capite suo ipsiusque desectis ornaret et suppliciter ab eo peteret, ut et ipse contra inimicos opem præstaret et Orestes redux iis superior fieret. Chrysothemis contra tam pro nihilo somnium illud habuit, vix ut, quale esset, memoriæ mandasset. Neque vero potuit comprehendere, quamobrem in optima id spe poneret soror, tantumque abfuit, ut ipsa boni quid ex eo redundare exspectaret, ut, pessima quæque ne inde consequerentur, timeret, quod et sororem videret, animo illa spe aucto, etiam pertinacius dominis repugnaturam et matrem putaret metu illo ductam sororis amovendæ consilium quam primum exsecuturam. Quapropter somnio narrato per deos Electram obsecrat, ut consiliis a se datis obtemperaret. Preces autem Electræ, quibus eam obtestabatur, ut sacrificia matris abjiceret utque munera cincinnorum patri offerret, non repudiavit, quum præsertim chorus earum adjutor esset. Obsecrat tamen magnopere, ne, rem quomodo gereret, matri aperirent. Videmus hinc summam animi præsentiam ac fortitudinem, illinc magnam facilitatem timiditatemque.

Partes Electræ quam diversæ apud Aeschylum sint et apud Sophoclem, hoc loco videre licet. Illa quamquam matri est invisa ac

male habita, ad sacra tamen inferis facienda mittitur, propter quod confidit illam, qua esset animi timiditate, non ausuram mandatam rem non gerere. Et profecto chori tantummodo consilio fieri vidimus, ut eo modo, quo fiebat, sacrificium patri offerret. Electra autem Sophoclea tantam in patrem pietatem, tantas inimicitias in matrem, tantam animi firmitatem, tantam audaciam semper et verbis et factis præstitit, ut facillime mater intelligeret, permoveri eam nullo modo posse, ut suo nomine inferias afferret patri. Quam rem quæ gereret, Chrysothemim aptissimam esse putat. Neque vero injuria sic existimat. Nihil enim illa recusare audet. Verum ut Choëphororum chorus auctoritate sua effecit, ut in bonum sibi suisque inferias a matre missas converteret, item Electra apud Sophoclem Chrysothemidi persuadet, ut, mandato matris neglecto, munera sua et sororis patri daret precesque in inimicos opis ferendæ ei adhiberet. Unde apparet, quas partes sustinet Electra Aeschylea, propius ad similitudinem Chrysothemidis, quam ad Electræ apud Sophoclem accedere. Illarum utraque alieno impulsu et auctoritate agit, hæc sua sponte ac voluntate. Hujus similior est chorus Choëphororum. In hoc enim quemadmodum tota actio tragoediæ posita est, sic illius auctoritas in re gerenda plurimum valet.

Somnium jam Clytæmnestræ, quod a Stesichoro accepisse Aeschylum vidimus, Sophocles retinuit, sed aptissime quum ad ingenium suum tum ad rationem fabulæ accommodavit. Apud Aeschylum Clytæmnestra per somnum sibi videtur draconem parere, qui mammis admotus sanguinem cum lacte exsorberet. Quo viso quid aptius cogitari potest, quod terrorem ei injiceret et suspicionem imminentis mali, præsertim quum stimulis conscientiæ vacua minime esset. Neque profecto nec choro nec ipsi Oresti horribile illud somnium non videbatur atque immanem rem portendere. In hoc autem, quod Sophocleæ Clytæmnestræ dormienti objicitur, nihil prorsus horroris inest. Agamemnonem ab inferis reducem videre sibi videtur e sceptroque ab eo ad focum sato efflorescentem ramum, cujus umbra opacaretur tota Mycenarum terra [1]). Quod quoniam nihilominus Clytæmnestra metu percellitur, eo indicat se tanto majore conscientiæ sollicitudine agitatam esse. Hoc modo rem proponere quam maxime proprium est artis Sophoclis. Qui voluit homines eos, quos in scenam induxit, non tam rebus externis, si oracula exceperis, in quibus et ipse plurimum posuit, permotos, quam

---

[1]) Magna huic somnio similitudo est cum somnio Astyagis, regis Medorum, quod Herod. I. c. 108 scriptum reliquit: *ἐδόκεε δέ οἱ (Ἀστυάγῃ) ἐκ τῶν αἰδοίων τῆς θυγατρὸς ταύτης φῦναι ἄμπελον, τὴν δὲ ἄμπελον ἐπεσχεῖν τὴν Ἀσίην πᾶσαν.* A verisimilitudine non abhorret, Sophoclem hoc somnium Herodoteum imitatum esse.

sua sponte et voluntate agere ac spectantium animos rebus actis retineri non tam ideo, quod speciem præberent admirandam ac terribilem, quod Aeschyli magis est proprium, quam quia ab hominibus proficiscebantur, qui, quamquam culpa minime vacabant, propter virtutem tamen aliquam neminem non caperent commoverentque. Somnium igitur hoc, de quo agitur, Sophocles ita finxit, ut pro sua quemque animi affectione alios aliter commoveret, non omnes horrore quodam afficeret, ut somnium, quod commemoravimus, Aeschyleum. In malam id partem Clytæmnestra accepit, utpote quæ culpæ conscientia angeretur ac, interpretibus non consultis, nihil reliqui fecit, ut detestabile omen procuraret. Soli somnium aperuit [1]), marito misit inferias, sacrum fecit Apollini. Electra autem, quæ summa torquetur exspectatione fratris, miseriarum liberatoris domesticarum, in optimam id partem interpretatur, itemque chorus virginum Mycenæarum, quæ intima familiaritate cum Electra conjunctæ in eadem sunt exspectatione. Chrysothemis vero, quæ præsentem rerum statum æquo animo tolerare constituit neque melius quicquam sperat, nihil prorsus in somnio ponit neque boni nec mali. Spectantes jam, qui reditum Orestis tenent, non possunt non graviter commoveri, ubi vident agentes quam varie somnio afficiantur et quam aliud aliæ sperent ex eo atque exspectent, quod ipsi, quid significet, præclare intelligunt.

Postquam Chrysothemis discessit, ut ad præscriptum sororis patri sacrum faceret, chorus carmine, quod est primum ejus stasimum, prædicavit, quid de iis, quæ facta erant, sentiret, quid brevi futurum esse arbitraretur. Ac spem habet certissimam fore, ut justitia divina atque furiæ brevi adsint, quæ scelestos ad justum supplicium tradant. Ad quam opinionem adductus erat somnio Clytæmnestræ, quo mala portendi parricidis putavit, si quicquam in ullis portentis inesset divinum. Neque vero non gaudet vehementer, poenis tandem dignis affectum iri impios et a malis atque injuriis vindicatum iri non modo domum Agamemnoniam, verum etiam terram patriam, quorum tot tantorumque domus Pelopidarum inde a nece illa Myrtili auctor fuisset. Videmus hoc stasimo quæ continentur minime a re aliena esse, id quod in nullum neque Sophocleum nec Aeschyleum stasimum cadit', in Euripidea autem non pauca, sed sicut chorus ipse cum agentibus est magna necessitudine junctus, ita cum proposito fabulæ præclare, quæ cecinit, cohærere. Accommodatissima ea sunt, quibus concitatus Electræ animus tranquilletur et in certam spem de celeri au-

[1]) Apud Græcos eum fuisse morem, ut somnia Soli aut Aetheri narrarentur ad mala avertenda, et ex hoc loco videmus et ex Eurip. Iphig. Taur. vv. 42—43. Cfr. annot. 1. p. 23.

xilio adducatur: quo modo affecta ad eum, qui statim sequitur, sermonem cum matre conferendum aptissima est. Accommodata eadem sunt ad animos spectantium metu et misericordia afficiendos. Quod divino quasi instinctu afflatuque incitatus chorus e somnio Clytæmnestræ, quod a mortuo esse missum injuriæ memori pro certo habet, vaticinatur, deorum opera, quorum numen nihil non superet, parricidis poenas imminere, id auditoribus, quibus adventus Orestis cognitus est ejusque consilium, metum non afferre neque misericordiam commovere non potest, considerantibus, cui a quibus quales poenæ sint repetendæ. Quam ad rem chorus etiam mentes eorum advertit extrema carminis parte, ubi de maleficiorum multitudine conqueritur, quæ in domo Pelopidarum admissa sint.

Dignum est, quod hoc loco attendamus, Sophoclem non ab Atrei illo nefario scelere in liberis Thyestis commisso, quod Aeschylus [1]) pro principali habet culpa domus, sed usque a stirpis auctore maleficia Pelopidarum repetivisse. Qua re ut concedit propensitatem quandam quasi hereditariam ad sceleste agendum viguisse in illa gente, ita indicat se sceleri Atrei non plus, quam ceteris tribuisse neque voluisse Aegisthum alia ulla re nisi cupiditate adulterii ac dominatus permoveri, ut cum Clytæmnestra societatem Agamemnonis trucidandi coiret. Hoc quam verum sit, multo etiam apertius fit e sermone Aegisthi cum Oreste collato, antequam ad mortem abriperetur. Quamobrem haud paulo scelestior est apud Sophoclem Aegisthus, quam apud Aeschylum. Quæ Aegisthi major culpa efficit, ut etiam Clytæmnestra Sophoclea majorem, quam Aeschylea, culpam sustineat, quippe quæ non tam ideo, quod adjutorem in poenis filiæ ab Agamemnone petendis sibi eum adjungere vellet, cui et ipsi officium Agamemnonis persequendi impositum esset, societatem cum Aegistho iniit, quam ut libidines satiaret foedissimas. Neque vero quicquam in causa sua defendenda apud Sophoclem Clytæmnestra, ut apud Aeschylum [2]), pro ea, quæ cum Aegistho sibi intercederet, conjunctione attulit. Ne uno quidem verbo id crimen neque defendere nec excusare conatur, quamvis Electra eam dicat illo uno flagitio permotam esse, ut Agamemnonem trucidaret et liberos ex eo partos domo ejiceret. Cædem autem Agamemnonis excusatam eo ac purgatam vult, quod Iphigeniam, filiam ipsius carissimam, Agamemno sacrificasset, cujus sacrificii, quod nullo jure fecisset, poenæ ei essent pendendæ. Negat enim patrem in filia plus, quam se ipsam, quæ doloribus eam peperisset, habuisse juris ac pote-

[1]) Agam. 1192.
[2]) Choëph. 918.

statis. Negat etiam Argivos et Menelaum ab Agamemnone jure postulare potuisse, ut filiam suam pro ipsorum salute donaret. De vera causa prorsus silet, qua ductus Agamemno, quod ei crimini dedit, facinus commiserat, quamquam ignorare eam non potuit, iram dico Dianæ, cujus placandæ causa Electra ostendit eum invitissimum fecisse, ut Iphigeniam sacrificaret. Maximo id est documento Clytæmnestram ex animi sui sententia, quid sentiret, minime dixisse, quod negat se quicquam facinoris sui poenitere. Quid de sollemnibus loquar, quæ singulis mensibus celebravit? His nonne putabimus eam conscientiæ morsus obtundere ac reprimere voluisse? Quid de somnio ejus plura dicam? Cujus magno metu sceleris conscientiam declarari quis non videt? Quid denique de eo ipso commemorem, quod justitiam facti sui Electræ, qua nihil erat ei odiosius, probare tam diligenter et lenitudine quadam ab ea tam aliena studuit? Ad hoc num eam descendisse censebimus, si extra omnem culpam causamque se positam judicasset et animi angorem nisi fallere captionibus voluisset? Preces, quas Apollini sacrificans fecit, luculentissime, quomodo fuerit animo affecta, declarant. Pertimuit conscientiam suam magnopere neque tamen voluit in flagitiis non perseverare. Oravit Apollinem vehementer et obsecravit, ut mala, si quæ somnio præsignificata essent, in inimicos averteret amicorumque consuetudine ut in posterum, sicut antea, uti sibi liceret præsentibus fortunis atque opibus florenti. Et quoniam quum multorum annorum usu docta tum e sermone Electræ novissimo perspicue vidit, quamdiu in vita essent illa et frater illius, non modo non ab acerbissimis se inimicitiis ac vitæ dimicationibus tutam umquam esse futuram, sed perpetuo etiam de parricidio et de vita sua flagitiosa admonitum iri, tectius ab Apolline petivit, ut inimicissimi illi tranquillitatis suæ turbatores e medio tollerentur. Ex his precibus quam maxime apparet, quantam ad ferociam atque impietatem pervenerit Clytæmnestra. Non dubitavit omnia jura divina et humana contemnere. Omnem amorem maternum exuit, ut cum sceleris socio viveret et injustum imperium teneret. Quæ spectatores quum viderent, non potuerunt non vehementissime commoveri, quum præsertim cognitum haberent ipsius Apollinis auctoritate, cui Clytemnestra preces suas adhiberet, Orestem rediisse et in eo jam esse, ut meritis parricidas afficeret poenis. Audiverant antea in prologo Orestem reducem, priusquam rem institutam susciperet, diis patriis, in quibus erat Apollo, supplicasse, ut in occupandis majorum bonis et in domo patria restituenda sibi opitularentur. De favore igitur Apollinis mater et filius inter se quasi concertare videbantur. A quo certamine uter utro superior discessurus esset, in incerto minime erat. Apparebat Clytæmnestram precibus suis nihil aliud effi-

cere posse, nisi ut Orestem adjuvaret, quippe quæ fidei Apollinis, cujus in tutela Orestes erat, salutem suam committeret. Quod perspicientes auditores fieri non potuit quin summa reverentia ac timore afficerentur deorum justitiæ, qui tantam sceleratorum animis calliginem offunderent, ut, quo diligentius a poenis se munire putarent, eo magis eas ipsi properarent. Hac in fortuna hominum inest illusio quasi quædam, quam quum apud Aeschylum nonnumquam tum sæpenumero apud Sophoclem propositam videre licet [1]). Quomodo in Oedipo Tyranno Iocaste, quum nuntium de morte Polybi audiret, preces Apollinis adhibitas sibi persuadet esse auditas magnoque afficitur gaudio, quod pro auctore salutis nuntium haberet, nullam prorsus habens suspicionem, quam contra ac speraret omnia per illum ipsum nuntium eventura essent, sic Clytæmnestræ videtur Apollo, quæ tantopere petiisset, rata fecisse, quum statim post pædagogus, ab hospite Clytæmnestræ Phanoteo Phocensi se missum esse simulans, interitum Orestis perferret.

Hoc igitur inventum Sophoclis, quod Clytæmnestram sacra cum precibus Apollini, ut omen somnii averteret, facientem induxit, scitissimum fuisse videmus non modo propterea quod, quales essent Clytæmnestræ mores, non minimum inde apparebat, sed ideo etiam quia, quo certior ei erat fides Apollinis, eo facilius sibi persuadebat, exitium Orestis, quod precata erat, divinitus factum esse. Neque vero id non ingeniosissime invenit Sophocles, quod non a Strophio nuntium, ut Aeschylus, sed a Phanoteo missum fecit. A verisimilitudine enim non erat alienum, sed ad persuadendum accommodatissimum, Phanoteum ad parricidas, quibus amicissimus erat, lætam illam rem, ubi primum comperisset, perferre ita properasse, ut eos præveniret, qui cinerem mortui domum referrent. Tantam id probabilitatem habuit, ut non modo parricidæ nullam ne minimam quidem suspicionem fraudis habere possent, verum Electra etiam et chorus in eundem eo errorem inducerentur. Huc accedit, quod pædagogum Sophocles rem tam apposite ad persuasionem referentem fecit, ut vel maxime dubios ad credendum perducere potuisse videatur. Tanta facilitas, tanta gravitas, tanta evidentia, tantum denique studium in oratione ejus inest, ut nihil fictum, nihil adumbratum, nihil ementitum videatur, sed omnia veritatis plena fideque dignissima. Pythia, in quibus Orestem interiisse perhibet, ita describit, ut, res quomodo ibi gestæ sint, tam animo videant auditores, quam ea, quæ oculis cernunt. Certamen equestre Homerico fere more persequitur [2]). Certantium non modo res gestas,

---

[1]) Cfr. C. O. Mülleri Geschichte d. gr. Litt. II. p. 126.

[2]) In hoc certamine describendo Homerum Sophocles mirifice imitatus est ludos illos funebres canentem, quos Achillem in Patrocli honorem celebrantem Il. 23, 362

verum etiam personas ita quum perspicue tum copiose ac splendide depingit, ut non possit non omnes ad se convertere et rapere, atque id tanto magis, quod tanta apud Græcos auctoritate florebant ejusmodi certamina, nihil ut gloriosius, nihil magis expetendum mortali contingere posse existimarent, quam ut ludis sollemnibus palmam acciperet et victor citaretur [1]). Et ad hanc prope divinam fortunam quum in eo esset ut perveniret Orestes omnibus omnium virtutum laude superior, casu adverso accidit, ut atrocissima et miserrima morte afficeretur. Quo quid magis aptum ad misericordiam commovendam excogitari potuit? Clytæmnestram, si nonnihil amoris materni in ea esset, sortis tam miseræ filii clarissimi miserere necesse erat. Et nihilominus apparet id illi videri percommode accidisse, quod ab eo liberata est, qui quanto melior erat atque fortior, tanto magis erat metuendus. Electræ autem nihil acerbius afferri potuit. Quæ quo excellentiorem virtutibus fratrem fuisse audivit, eo magis sibi persuasit, aptissimum eum fuisse, qui patrem ulcisceretur seseque a miseria liberaret. Quam igitur prudentiæ laudem Orestes in prologo pædagogo tribuerat, ea se dignissimum præstitit. Jurejurando nullo narrationem suam firmans, ut jusserat Orestes, ita tamen callide instituere scivit, ut a nullo eam audienti summa fides ei non haberetur necesse esset. A quo ne

---

sqq. finxit. Cfr. Lechneri diss. de Sophocle poeta *Ὁμηρικωτάτῳ* p. 8. Quod in vera temporis ratione peccavit, quum jam Orestis temporibus ludos, qui gymnici nominantur, Delphis fieri fingeret, quamquam ante XLVIII Olympiadis annum tertium nulla ibi umquam nisi musica certamina instituta fuisse et Strabo c. 421 et Pausanias § 813 narrant, hoc neminem offendat. Id enim sæpenumero poetæ sibi sumunt, ut mores suorum temporum antiquissimis temporibus tribuant. Curricula equorum, quæ anno demum tertio Ol. XLIX Delphis institui coepta sunt, Olympiæ autem Ol. XXV. 1 (Paus. § 394), jam ante Homerum si non publice, at privatim apparari solita esse ex Homeri l. l. videmus et ad Pelopem illa et Herculem fama referebat.

[1]) De hac re Pindarus (Pyth. 10. 22—29) ita canit: *ἐνδαίμων δὲ καὶ ὑμνητὸς οὗτος ἀνὴρ γίγνεται σοφοῖς, ὃς ἂν χερσὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ κρατήσαις τὰ μέγιστ' ἀέθλων ἕλῃ τόλμᾳ τε καὶ σθένει, καὶ ζώων ἔτι νεαρὸν κατ' αἶσαν υἱὸν ἴδῃ τυχόντα στεφάνων Πυθίων. Ὁ χάλκεος οὐρανὸς οὔ ποτ' ἀμβατὸς αὐτῷ· ὅσαις δὲ βρότεον ἔθνος ἀγλαΐαις απτόμεσθα, περαίνει πρὸς ἔσχατον πλόον* Quantos honores habuerint Græci victoribus certaminum illorum sacrorum quum e Paus. § 469 intelligi potest, ubi de Diagora Rhodio hæc scripta videmus: *νικήσαντες δὲ οἱ νεανίσκοι διὰ τῆς πανηγύρεως τὸν πατέρα ἔφερον βαλλόμενόν τε ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ἄνθεσι καὶ εὐδαίμονα ἐπὶ τοῖς παισὶ καλούμενον,* tum e Vitruvii præf L. IX. qui ita scribit: nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, ut non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam quum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur. Cfr Plutarch. Pelop. 34. 4; Cic. Tusc. 1. 46, 111; Pro Flacc. 13. 31; Sueton. Ner. 25; Gell. 3. 15.

aspectus quidem Electræ deterruit, quam quanto dolore afficeret, oculis vidit.

Sunt [1]) qui Sophoclem reprehendant, quod justo copiosiorem certaminis Pythici descriptionem hoc loco interposuerit, quam a tragica ratione tam alienam esse putant, nihil ut aliud ea spectaverit, nisi ut Athenienses laudibus exornaret. Quæ reprehensio quam non justa sit, nemo non videt, qui perspectum habet, quantum in hac descriptione positum voluerit Sophocles. Vidimus Orestem Aeschyleum ad matrem ipsum de sua morte nuntium afferre eique statim fidem haberi, quamquam ab ignoto homine rem se accepisse profiteretur. Quod quum parum verisimile Sophocli videretur, Orestem a matre neque agnosci nec diligentius interrogari, quomodo tam repente præter spem e vita excessisset, ita rem instituit, ut a pædagogo quum ætate longe provecto tum usu sapientiaque præstanti nuntius matri perferretur, qui ab homine ei amicissimo ideoque Oresti inimicissimo missum se esse perhiberet. Hoc modo postquam hominem invenit eum, quo nemo magis idoneus esse potuit, qui rem Clytæmnestræ lætissimam, mortem Orestis, sine ulla fraudis suspicione referret, id tamen plurimum interesse recte intellexit, mortem Orestis ita fingi, ut a veritatis similitudine nullo modo abhorreret. Quod quoniam solebant adolescentes ex omnibus Græciæ civitatibus Delphos convenire ludis sollemnibus et in certamina descendere, nihil erat probabilius, quam Orestem hoc idem fecisse [2]). Quæ probabilitas vehementer eo aucta est, quod pædagogus, quasi si ipse rem præsentem vidisset, tam evidentem imaginem omnium, quæ in certaminibus illis gesta erant, oratione sua expressit, ut audientes illa non narrari audire, sed agi videre sibi viderentur. Ita demum existimavit Sophocles Clytæmnestræ nihil esse visum iri quamobrem de re nuntiata dubitaret. Quod quantum interfuerit, nemo non videt, qui consideret in eo uno secundum instituti Orestis eventum positum fuisse. Quæ quum ita sint, apparet descriptionem illam splendidam certaminis Pythici rationi tragoediæ esse accommodatissimam. Quod tamen minime impedit, quominus ita eam Sophocles institutam voluerit, ut civium suorum animos quam maxime teneret ac delectaret. Vix quisquam negare potest, quin Athenienses ceteris Græcorum populis,

---

[1]) Ut A. Schoellius in Sophocles, sein Leben u. Wirken p. 254 et Fr. v. Raumerus in Vorlesungen üb. alte Geschichte V. II. p. 407.

[2]) Etiam Pindarus (Pyth XI. vv. 15—16) mentionem facit victoriæ Orestis Pythiis reportatæ: quamobrem fama videtur fuisse, Orestem, dum in Phocide apud Strophium versabatur, in Pythia descendisse, ubi corporis etiam virtutibus excellendo filium patre clarissimo dignum se omnibus hominibus præstaret, priusquam munus ulciscendi aggrederetur.

imprimisque Sophoclis ætate, omnium artium laude præstiterit. Quamobrem poetis, si nomen Atheniensium, ubicumque poterant, ut arti suæ non nocerent, amplificare voluerunt, id est condonandum neque vero vituperandum. Sophoclem, quum hanc tragoediam ita composuisset, ut certamen equorum esset describendum, consentaneum erat homini Atheniensi potius, quam alii cuiquam certantium palmam delatam malle. Qua re tamen non est probabile eum id egisse, ut certum quendam civem celebraret [1]), sed patriam suam. Præterea est intelligendum tragicos Græcorum præcipuam semper dedisse operam in orationibus nuntiorum perficiendis [2]). Quæ personæ tanto magis erant iis necessariæ, quam recentioribus [3]), quod quasi lege erat vetitum, facinora ulla, ut pugnas, certamina, cædes, similia, in scena committi fingere [4]). Hæc non tam oculis cernenda, quam auribus percipienda videbantur, quippe quæ visa futurum fuerit ut spectantium animos æquo vehementius concitarent. Satis esse videbatur ad tragicam voluptatem efficiendam oculis spectatorum proponere, homines agentes quibus studiis capti quid sentirent, quid deliberarent, quid constituerent ante rem gestam et post eam quomodo affecti essent. Rerum autem ipsæ actiones a conspectu theatri numquam fere non amovebantur [5]) eæque quemadmodum factæ essent, ignorantes ut certiores facerent, nuntios introducere usi-

---

[1]) Ut l. l. opinatur Schoellius, Sophoclem, quum palmam homini Atheniensi deferret, Alcibiadem voluisse laude ornare, quem constat non multo ante bellum Sicilicum Ol. LXXXIX septem curribus quadrigarum in Olympia demissis, id quod erat inauditum, et primas accepisse et secundas et quartas. Cfr Thucyd. 6. 16. Isocrat. 16. 14. Plutarch. Alcib. 11. Athenæ. 1. 5. E. Curtii Griech. Gesch. V. II. p. 506.

[2]) Possunt multa in hanc rem exempla afferri, verum satis sit hoc loco in memoriam revocasse orationem illam splendidissimam, qua in Persis Aeschyleis nuntius pugnam Salaminiam describit itemque elaboratam illam, qua apud Euripidem nex Aegistho ab Oreste illata nuntiatur.

[3]) Nuntiorum tamen narrationes etiam in recentiorum tragoediis inesse quis est qui ignoret. Unum e multis exemplis satis sit attulisse: in Schilleri Wallensteinio pugnam, in qua cecidit Max Piccolomini, nuntius quidam satis diligenter virgini Thekla describit.

[4]) Hac de re Horatius in epist. ad Pis. vv. 182—5 ita præcipit: — non tamen intus digna geri promes in scenam, multaque tolles ex oculis, quæ mox narret facundia præsens. Ne pueros coram populo Medea trucidet aut humana palam coquat exta nefarius Atreus etc. Cfr J. G. Rothmanni Beiträge zur Einführung in das Verständniss d. gr. Tragödie p. 9; O. Mülleri Gesch. d. gr. Litteratur II. p. 60. F. Fritzschei Quattuor leges scenicæ Gr. poeseos p. 65. sqq.

[5]) Ajacem quidem Sophocles in scena mortem sibi ipsum consciscentem inducit, sed hoc ideo factum videtur, quod voluit ante oculos spectantium ponere, qualis animi affectus Ajacis esset in re ipsa agenda, quod nemo nuntius referre posset, quippe quum in solitudine res esset gerenda.

tatum erat. Nuntiorum igitur narrationes in nulla fere tragoedia defuerunt. Quumque in narrando potissimum eorum munus constitit, consentaneum erat optimum quemque poetam orationes eorum carminis epici virtutibus maxime ornare. Quam maxime perspicue et diligenter atque copiose res gestas ab iis describi voluerunt, ut audientes tamquam præsentem et vividam earum imaginem sibi animo fingerent. Quæ quum ita sint, quid mirum, si Sophocles, tantis et tam multis rationibus ductus, pædagogum certamen equorum Pythicum fusius describentem inducit. Verum redeat, unde declinavit, disputatio.

Sophocles quum ita rem institueret, ut, Electra præsente, qua de re Orestes nihil cogitavit, nuntius matri afferretur de morte Orestis, id effecit, ut, Electra quanta animi constantia et magnitudine esset, quam clarissime demonstraretur, quæ malo afflicta, quo nihil majus ei accidere potuit, sua tamen teneret et sibi ipsi constaret. Primo, morte fratris nuntiata, funditus se periisse exclamans dolorem suum gemitumque matris jussu reprimit, dum pædagogus, quomodo interierit Orestes, narrat et post etiam aliquanto, matrem amore materno tentatam videns, silentium tenet, sed ubi primum eam vidit, omnibus amoris igniculis in animo exstinctis, lætitia exsultantem, quod omni periculo liberata esset, in quo tamdiu dies noctesque fuisset, tum dolorem cohibere non jam potuit vehementerque lamentans conqueritur ac deplorat miseram fratris sortem. Deplorat etiam et patrem, ad quem ulciscendum fratrem aliquando rediturum frustra sperasset, et se ipsam, cui, omni spe dejectæ, nihil aliud relictum esset, nisi ut inimicissimis hominibus serviret. Hoc tamen negat se umquam facturam, sed potius ante portam jacentem contabescere. Chorus quamquam et ipse falso nuntio inductus erat consolandi partibus non defuit afflictamque studuit ad deorum potentiam revocando erigere. Monuit omnium mortalium esse mori, Amphiarai autem exemplo probavit eos plurimum apud inferos valere. Omnem tamen consolationem vicit dolor.

Contrario prorsus animi affectu prædita Chrysothemis festinanter advenit, a sepulcro patris reversa. Summo gaudio exsultat, quod libationibus in sepulcro paterno nuperrime factis et cincinnis adducta, quæ munera nullius nisi fratris esse putat, persuasum habet, fratrem adesse. Qua re freta liberationem omnium malorum sperat jubetque sororem bono esse animo. Videmus, quam ingeniose Sophocles inventis Aeschyli usus sit. Eorum quidquid accepit ut semper ad suum consilium optime accommodavit, prudentissime inferias Orestis ad suum commodum contulit. Eæ quantum ad rem pertinerent, quoniam probissime intellexit, ipsum Apollinem id præcipientem finxit, ut ab iis Orestes rem inciperet. Neque tamen potuit ut apud Aeschylum Orestis et Electræ agnitio iis

effici, quum Electræ Sophocleæ, quibus erat moribus quæque ratio ei cum parricidis intercedebat, id mandatum, ut inferias matris afferret sepulcro patris, committi non posset. Chrysothemis autem, cujus in mentem frater revocatus esset ab Electra et choro, sacra patri faciens summam spem præsentis fratris concepit ex cincinnis et aliis sacrificii modo oblati signis conspectis. Sic mira rerum commutatio facta est. Quæ brevi ante spem salutis, quam e somnio Clytæmnestræ Electra et virgines chori ceperant, pro vana habuerat precibusque tantummodo earum cedens sacrificium se patri suo ipsius et sororis, non matris nomine facturam promiserat, ea nunc optimam spem habens vehementissime iis videtur errare. Quæ nuper nihil a fratre exspectaverat auxilii et Electræ, nisi rerum necessitati cedens se sequeretur, summum periculum a parricidis imminere denuntiaverat, ea nunc sororem de omni auxilio omnique de salute desperantem confidenter animo confirmare studet. Neque potuit hæc Chrysothemidis spes atque exhortatio spectantes non vehementer commovere, qui veram rerum conditionem tenerent. Viderunt eam rectissime sperare, mox tamen fore, ut illa spe dejiceretur eundemque in errorem, ac soror, incideret. Viderunt amabilem ejus mitemque naturam. Quæ, ubi primum in tumulo cincinnum conspexit, summo gaudio cumulata, quod a fratre dicatum eum judicaret, magnam vim lacrimarum effudit. Quæ sic affecta ad sororem, quanta potuit festinatione, properavit, ut ingens suum gaudium cum ea communicaret.

Hoc progressu Chrysothemidis videtur Sophocles voluisse, præterquam quod spectantes certiores eo fiunt, inferias ab Oreste patri allatas esse, cujus rei causa discesserat, ideoque eum brevi ante regiam adfuturum, et superiora aliquantum mitigare et posteriora, quæ acerbissima essent. Nimia enim quæque Sophocles semper effugit, tristia et acerba lætis et suavibus temperare solet [1]). Lucem ita vult exiguam e tenebris undique circumfusis quasi perlucere. Quæ lux, quamquam nubibus brevi obscuratur atque etiam exstinguitur, vim tamen habet non parvam. Hoc loco gaudium Chrysothemidis brevissimum quidem fuit, sed tantæ tamen veritatis plenum, ut Electra, quæ omnem chori consolationem nuper respuerat, a desperatione eo in spem revocaretur, Chrysothemim post fratris mortem secum facere velle. Et profecto promisit illa, se quidquid posset opis laturam, si modo, quæ vellet Electra,

---

[1]) Exempla sunt in Trachiniis Lichas, qui Deiniræ nuntium de Hercule brevi redituro affert, in Oedipo Tyr. nuntius Corinthius, qui de morte Polybi nuntiat, imprimisque choro sæpe Sophocles commisit has partes tristiora mitioribus levandi, ut in Ajac. vv. 693—718; in Oed. Tyr. vv. 1085—1109; in Antig. vv. 1115—54; in Trach. vv. 205—24, 633—62; in Oed. Col. vv. 668—719.

commodi quid afferrent. Sed quum comperisset, nihil minus in mente Electram agitare, quam ut ea adjutrice necem Aegistho inferret, audacius id existimavit, quam quod prudentis esset suscipere. Tantum audere quid aliud esse, quam ad majorem, quam in qua jam esset, miseriam scientem proficisci? An in virum tam potentem quicquam posse mulieres? Quapropter eam obsecrat atque obtestatur, iram ut comprimeret et necessitate coacta potentioribus cederet. Frustra Electra eam primum admonuerat, quam indigna conditione uteretur, bonis patriis spoliata et matrimonii expers senescere coacta. Frustra tum eam docuerat, quantam pietatis laudem apud optimum quemque sibi paritura esset, si vitæ pericula contemnens patris ulciscendi officio satisfaceret. Frustra denique, oratione in preces versa, obsecraverat, ne patri operam suam denegaret, ne fratri deesset. Eodem utitur consilio, atque antea, eandem præstat prudentiam, eandem animi timiditatem. Præstare ei videtur præsentia mala tolerare, quam quicquam audere, quod si secus accidisset, in multo pejora inciderent. Temeritatem Electræ exprobrat et nimiam audaciam. Ex quibus omnibus quum Electra probissime intellexisset, nihil auxilii sibi a sorore exspectandum esse, rem prædicat se solam gesturam. Hoc audito Chrysothemis Electram, cujus de inconsiderantia nihil jam dubitat, irridere incipit: ex quo altercatio inter sorores oritur, cujus ejusmodi finis factus est, ut altera alteram viam, suis utraque moribus convenientem, ingrederetur. Quam liberam adhibet contumaciam, a magnitudine animi ductam, eam capere Chrysothemis non potest, sed pro amentia habet et inconsiderata ratione. Concedit quidem, ut antea, jure suo Electram agere; verumtamen esse dicit, quum de jure sit paululum decedendum, quod damnum afferat. Iisque legibus ubi Electra negat se vivere velle, prædicit fore, ut malis affecta consilium suum poenitente animo collaudet.

Quo facto quum Chrysothemis in regiam discessisset, carmen incipit chorus, quod secundum est stasimum, quo pietatem erga parentes celebrat. Hoc officium, quod ipsæ belluæ præstarent, qui homines negligerent, eos a diis impunitos numquam dimissum iri persuasum habet. Miseram domus Agamemnoniæ conditionem, quæ dissidio filiarum esset aucta, commiserans, Chrysothemim, quod sororem in pietate colenda non imitaretur eamque desereret, improbat, Electræ autem, quamquam audaciam non comprobat, summis laudibus effert singularem in patrem amorem, in quo omnibus facile antecelleret, et animi excelsitatem, qua insignis quidvis mali mortemque turpitudine multo anteponeret, et religionem in sanctissima quaque lege divina colenda, cujus virtutis laude præ ceteris floreret. Quamobrem salutem Electræ precatur et victoriam ut ab hostibus brevi reportaret.

Hæc frustra profecto non videtur chorus precatus esse, quum statim post Orestes, persona indutus hominis Phocei, procedit, ut, quomodo res ei cum pædagogo convenerat, cinerem sui mortui simulatum Aegistho urna conditum traderet. Nuntius, a Phanoteo missus, tum Electræ certissimis documentis confirmatus videbatur urnamque, qua reliquias fratris contineri putat, manibus tenens mortem carissimi fratris deplorat mollissimis usa verbis. Deplorat fratrem, deplorat se ipsam, deplorat totam Agamemnoniam domum. Ut Orestes apud Aeschylum in prologo Choëphororum, quod funeri patris interesse non licuisset, conqueritur, ita Electra hic dolet, quod supremis suis officiis caruisset peregre mortuus. Quam rem sibi ipsi vertit crimini, quum domo eum emisisset. Queritur jam, quod omnem suam curam in educatione fratris consumpsisset frustra, eodem prorsus modo, quo in Choëphoris nutrix Orestis, quem locum Aeschyleum Sophocles hic videtur imitatus. Amorem in Orestem intimum et summum de morte ejus dolorem indicat utriusque oratio, ad diversos tamen earum mores atque res accommodata. Atque apparet Electræ ut totam personam, ita hanc orationem multo magis spectantium animos tenuisse et commovisse, quam nutricis, quæ neque ante, quam orationem illam haberet, in conspectum venit, et post eam discedens non jam processit. Electra, tot tantisque malis tamdiu usa, ad summum nunc videtur pervenisse. Quem unum secundum deos lucem sibi et domui patriæ allaturum semper speraverat, eum nunc ad nihilum redactum in manu habens magna vi lacrimarum perfundit et ardentissime exoptat, ut quam primum, in partem fratris sepulcri vocata, apud inferos cum eo conjungeretur. Hæc omnia Orestes videns sororis, quam magno illo dolore agnovit, non magnopere misereri non potuit. Quæ misericordia vehementer aucta est, quum et ex habitu ejus vidisset et narrantem eam audivisset, quam indigne a parricidis haberetur. Opinione sua pejora eam dicit perpessam esse. Quo factum est, ut summo studio incenderetur poenas ab omnium malorum domesticorum auctoribus expetendi. Sic affectus [1]) sorori, quis vere esset, aperuit. Quantam rerum conversionem! Quod tam diu et tam vehementer expetiverat, Electra necopinato assecuta est. Fratrem reducem et salvum complexu suo tenet. Quanto majore nuper dolore arserat, tanto pleniore nunc cumulatur gaudio. Ut dolore antea, ita gaudio nunc lacrimas effundit plurimas. Quem diem non multo ante interitum sibi afferre dixerat, eundem nunc diem salutis salutat.

[1]) Minus recte Westrikius l. l. p. 174 dicit Orestem nec miserationem nec metum nec indignationem nec gaudium nec dolorem ostendere, nihil queri, nihil lugere. An sermo omnis cum Electra collatus ante agnitionem et post eam, antequam domum intrav t, contraria non probat?

Lætitia exsultat. Nihil jam metuit a parricidis, nihil de præsenti discrimine cogitat. Graviter fert preces fratris, quibus ab ea petit, ut modum lætitiæ adhibeat ac verbis. Silentium tenere tam læta in re quemadmodum deceat, intelligere non potest. Fratrem amplexata obtestatur, ut aspectu ejus, ut voce sibi liceat frui, quem tamdiu exspectatum præter opinionem tandem teneat. Quumque ad hæc Orestes dixisset, domum se, ubi primum jussissent dii, rediisse, deorum hoc jussum lætitiæ Electræ quasi cumulum addit.

Huic Electræ lætitiæ contrariam Orestes summam præ se fert animi tranquillitatem, incredibilem in gaudio sororis conveniendæ adhibet moderationem. Studio erga sororem minime vacat, verum se ipse ita continet atque coërcet, ut animo quasi callum adversus omnem humanitatis sensum obduxisse videatur. Amore fraterno se induci non patitur, ut aut se sorori, antequam persuasum haberet præsentium se omnium fidei credere posse, ad agnoscendum daret, aut post agnitionem gaudio elatus securitati se atque imprudentiæ dederet reique propositæ esset immemor. Obsecrat igitur sororem, ut vocibus abstineret lætis, quæ si intus exauditæ essent, consilia sua confringerentur. Vetat eam ulla de matris, ulla de Aegisthi malefactis ac flagitiis verba facere, sed ea tantummodo dicere, quæ temporis discrimini convenirent, quomodo finem imponere possent facinoribus parricidarum, poenasque ab iis tutissimo repetere. Id unum curæ est Oresti, id solum cogitat, id priusquam peractum est, alii rei vacat nulli. Quo studio patris ulciscendi domusque patriæ restituendæ eum vidimus jam primum in scenam progressum flagrasse, id non minimum auctum est aspectu miseræ sororis præstatoque ab ea intimo et in patrem et in fratrem amore. Qui animi impetus nullum ei dedit locum secum reputandi, matrem a filio nece affici utrum fas esset, necne.

Ac tempore adest pædagogus e regia egrediens, ne ardor Orestis remitteretur. Insaniam Oresti ille et Electræ exprobrat, quod, quanto in periculo versarentur, non considerarent, sed tam longo sermone, quid sentirent, inter se communicarent, et ad rem gerendam adesse temporis opportunitatem prædicat. Omnia intus optime se habere ait, pro mortuo Orestem haberi. Quæ Electra jam retulerat, confirmat, Aegisthum foris esse, matrem solam domi. Hortatur igitur Orestem et Pyladem, ut quam primum domum intrarent et rem institutam peragerent. Summum in mora esse periculum. Ex his monitis peregrini Electra facile concludens, eum non esse, quem putaverat, nuntium Phanotei, sed socium Orestis neque tamen ipsa, quis vere ille esset, intelligens, pædagogum ubi primum, fratre docente, cognovit, manibus prehendit et nomine servatoris domus patriæ eum appellans patremque

eum salutans fidem ejus magnam eximia laude ornat. Altera ita fit agnitio, qua accommodatissime effecit Sophocles, ut eo etiam gaudio afficeretur Electra, quod, cui fratrem servatum debuit, meritam ei justamque gratiam referendi jucundissima oblata est occasio. Qua laude studii ac fidelitatis pædagogum Orestes in prologo ornaverat, eadem hic Electra eum afficit. Neque profecto immerito. An potest quisquam rem mandatam diligentius, fidelius, alacrius persequi, quam fecit pædagogus? Vidimus, quanta prudentia fictam Orestis mortem Clytæmnestræ nuntiaret, quanta sollertia introitum in ædes sibi pararet; neque vero minus prudentiæ adhibuit ac diligentiæ in regiam ingressus: res domesticas, quo loco essent, cognovit; voces Electræ et Orestis, quas lætissimas ediderunt inter se cogniti, ne intus audirentur, præcavit; quumque satis diu ei viderentur collocuti esse, domo egressus de temporis discrimine admonuit quantumque ad prosperum rei eventum interesset tum ipsum strenue agere docuit. Quid? quod a re alienum putavit ad benignam Electræ appellationem ex animoque profectam salutationem aliud quicquam respondere nisi nolle se plura illo tempore dicta antiquiusque nihil habuit, quam ut res instituta statim perageretur? Hæc omnia ejus esse, qui nihil aliud curet, nisi ut res suscepta ei, quem adjuvet, bene ac feliciter eveniat, quis non videt? Videmus hic pædagogum eodem modo, quo apud Aeschylum chorum Choëphororum, Orestem et Electram a colloquio ad rem propositam perficiendam avocare. Quo facto Orestes ut illic ad rem conficiendam se confert, ita hic statim, Pylade comite, domum intrat eo consilio, ut propositum consequeretur. Quemadmodum autem diis auctoribus domum redierat, ut poenas a parricidis repeteret, quumque patriam terram attigisset, eorum fidem imploraverat, sic ante introitum mutis precibus adorat deos patrios idemque Pyladem adhortatur. Quibus precibus suas Electra magna voce addit Apollini adhibitas, ut auxilio suo ulciscentes ad consilia exsequenda propitius adjuvaret et hominibus, qualem impietatis mercedem dii darent, palam faceret. Hac precatione facta ceteros in ædes ingressos Electra subsequitur.

Hoc episodium quam artificiose Sophocles composuerit et ad commovendum quam apte instituerit, quis est quin intelligat? Acerbissimos jam dolores hauserat Electra, nullum tamen acerbiorem, quam quem cepit, quum fratris, quem putavit, cinerem manu teneret. Omnem spem salutis cum fratre perdiderat, cujus de morte nihil tum erat quod dubitaret; quæ tanta calamitas eo etiam aucta est, quod justa fratri peregre mortuo solvere ei non licuerat. Qua in re spectantes quamquam errare eam noverant, non potuerunt non summopere dolore ejus commoveri, qui, etsi in errore positus erat, nihilo tamen minus

erat acerbus. Maximum id erat pietatis documentum, quo quin tereretur, neminem puto fuisse. Lamentationem Electræ ad urnam ac fletum miserabilem videnti cui vel invito non lacrimæ obortæ sunt? Neque vero Orestes, hunc tantum muliebrem gemitum videns, non facile sibi persuadere poterat, illacrimantem esse sororem, quam antea nihil nisi auditione cognitam habuit. Ac misericordia moto verba ei non pauca exciderunt, e quibus Electra, nisi de morte fratris tantopere persuasum habuisset, facile esset suspicata, quis vere esset, qui urnam apportaverat deque miseria ejus tam vehementer dolebat. Hic autem vehemens animi motus Orestis, tametsi Electræ suspicionem de fide nuntii allati movere non potuit, antequam mentio semel de dolo facta est, plurimum tamen quin valuerit ad fidem ei faciendam, fratrem se esse profitenti, nemo facile negare potuerit. Unde factum est, ut non modo Electræ agnitio ab Oreste fieret ex ipsa factorum ratione, id quod de agnitione disputans Aristoteles præcipit [1]), sed aliqua ex parte etiam Orestis ab Electra. In sigillo enim, quod sorori Orestes ostendit, Sophoclem non ita multum voluisse positum ex eo apparet, quod nihil ante id visum Electra dubitat, quin vera Orestes diceret. Ac nonnihil ad adventum Orestis animum Electræ præparari voluit Sophocles primum somnio Clytæmnestræ deinde eo, quod Chrysothemis in sepulcro patris narraverat se reducis fratris sacrificia invenisse. Quorum illud et Electram et chorum in optimam spem adduxit, hoc, quamquam non tantum effecit, ut nuntio de morte Orestis allato diffideretur, aptissimum tamen erat, quo in suspicionem fraudis adduceretur chorus et propensior Electra redderetur ad fidem Oresti tribuendam, ubi primum dissimulationem deposuit.

Videmus Sophoclem ut plurima, ita hoc Aeschyli inventum cincinnorum patri dedicatorum retinuisse, ad suum autem consilium prudentissime accommodasse. Uterque poeta voluit Orestem a precibus deorum et sacrificiis patri factis munus ulciscendi incipere. Voluit etiam uterque Agamemnoni eodem tempore domo afferri sacrum. Quod hac in fabula, quum ab Electra fieri nullo modo posset, Chrysothemidi aptissime commissum est. Quo fiebat, ut, quibus esset moribus, quam optime patefieret. Magnum eam habuisse amorem et in patrem et in fratrem et in sororem quum ex eo patet, quod jussum matris negligens suo et sororis nomine sacrificium patri attulit, tum inde vel maxime apparet, quod crines fratris in sepulcro conspicata summo gaudio affecta est et quam celerrime potuit ad sororem advolat, ut reditum fratris, quem pro explorato habuit, quam primum nuntiaret. Neque vero ita penitus in animo ejus ille amor insedit itaque gratuitus

[1]) Art. poet. 16.

fuit, ut omnia eo inferiora duceret. Non tanti eum æstimavit, nulla ut neque periculorum neque utilitatum ratione habita colendum sibi eum putaret. Quamobrem Electræ, quam nihil, quominus amore ac luctu patrem constanter prosequeretur, prohibere potuit, imprudentiam semper, quod tempori non cederet, exprobravit imprimisque tum eam judicavit inconsiderate agere ac stulte, quum, morte fratris nuntiata, id consilium caperet, ut mortem Aegistho sola inferret. Contra Electra eam, quam Chrysothemis commendavit, prudentiam turpitudinis loco habuit nihilque antiquius existimavit, quam ut perstaret in suo officio. Pro sanctissimo autem officio amorem putavit paternum, quod si neglexisset, indignam se judicavit, quæ filia carissimi patris appellaretur. Atque amorem in fratrem quanto majorem Electra, quam Chrysothemis, habuerit, e modo eo vel maxime intelligi potest, quo utraque mortem ejus nuntiatam pertulit. Non tam fratrem commiseratur Chrysothemis, quam se ipsam et errorem suum, munera patri ab illo oblata esse putantis. Quanto gravior dolor Electræ! Testis est oratio illa lamentationis plena ac miserationis, quam ad urnam habuit. Testis est lætitia illa mirifica, qua, fratre cognito, exsultavit. Hoc singulare Electræ gaudium quo jure inane Trahndorffius existimaverit et simulatum [1]), ipse viderit. Amplexus, verba, sententiæ, impendentis periculi oblivio, omnia denique contrarium, si quid video, probant. Atque ingenio Electræ quid est quod tam repugnet, quam simulatio dissimulatioque? Quid? Pessima quæque nonne videmus eam perpeti malle, quam coram parricidis alia sentire, alia dicere? Sed ad id, unde degressa est disputatio, revertamur.

Chorus igitur, postquam scenici omnes discesserunt, tertium instituit stasimum, ubi, quod in primo stasimo præcinuerat, somnio Clytæmnestræ audito, furias brevi adfuturas, ut poenas a parricidis repeterent gravissimas, id nunc factum esse canit. Cum Oreste a Mercurio deducto in domum Agamemnoniam illas ingressas esse, ut tandem mors impie Agamemnoni illata puniretur. Hoc carmine chorus indicat se existimare matricidium Orestis dirum illud quidem esse, sed justum neque legi divinæ non consentaneum. Quam spem semper habuerat Electram consolans, fore, ut dii imprimisque Juppiter eos non impunitos esse paterentur [2]), qui tanta et tam multa nefaria commisissent, eam ad effectum jam omnino videt adductam, simulac domum intravit

---

[1]) In diss. über den Orestes d. alt. Tragödie und d. Hamlet des Shakespeare p. 13 ita scriptum est: Elektra konnte nur zum Dämon werden, ihre Begeisterung bei dem Wiedersehen des Orest, ohne allen Grund und Boden, nur Heuchelei und dämonische Verlockung sein.

[2]) Vv. 82, 84, 88, 175, 476, 826, 841.

Orestes. Nihil metuit, ne victor a certamine non discedat, quippe cui præsentem dii opem ferre videantur. In quo est intelligendum, ut Electra in prologo præter ceteros deos ultores furiarum opem imploraverat, ita hic esse choro persuasissimum, cum Oreste illas facere. Quæ res probare videtur apud Sophoclem furias munere suo cum Jove consentientes fungi, ut, quæ dissensio inter deos prisci et recentioris generis apud Aeschylum intercedere fingitur, eam aut ignoret Sophocles aut sublatam jam velit [1]).

Animi spectantium hoc chori carmine, a rebus gaudii plenissimis, quæ proxime actæ erant, avocati, ad atrocissimas illas, quæ paulo post erant agendæ, aptissime præparantur. Ad leges divinas considerandas mentes eo intenduntur, quibus perpensis facile intelligunt, quam graves poenas commeruerint parricidæ. Quamobrem quum statim post lamentabiles Clytæmnestræ ferro percussæ voces exaudiunt, metu illi quidem eodemque horrore, atque chorus [2]), afficiuntur videntes, quam acerbe eos puniant dii, qui jura divina pervertere audent neque vero possunt cum choro [3]) justitiam divinam non probare, quod immanes Agamemnoni illatas injurias non neglexerit salutemque tandem illius domus atque regni refecerit. Quod bonum redundaturum sperare possunt e facinore illo, quamvis a liberis in matre atrociter sit factum, propterea quod viderunt nihil primo certe fuisse, quod ad rem illam suscipiendam eos impelleret nisi amorem in patrem officiumque religione præceptum. Ac facere tamen non possunt, quin magna hominum misericordia commoveantur, quod iis evenire possit, ut in eam vitæ conditionem redigantur, ut integri nequeant ne sanctissimorum quidem officiorum partes tueri. Qui ab Aeschylo cognitum habuerunt, quas voces edens Agamemno a Clytæmnestra plagas mortiferas accepisset, eos non summopere id commovere non potuit, quod easdem voces Clytæmnestra edere audiebatur [4]) a filio vulnera accipiens [5]).

[1]) Cfr Neue Jahrbücher 1854 p. 504 Keyseri diss. üb. Sophocl. Electra et Hoppei diss. de deorum Sophocl. fatal. potestate p. 11.

[2]) V. 1407.

[3]) Vv. 19, 1412, 1508.

[4]) Cfr Boeckh. Gr. Trag. princip. p. 244.

[5]) Animadvertatur velim Sophoclem hoc loco aptissime ἀντιλαβῆς, quæ dicitur, figura usum esse, quum Clytæmnestram vulneratam voces illas lamentabiles non plenis senariis, ut Aeschylus Agamemnonem, mittentem faceret, sed curtis, qui responsis Electræ suppleti sunt. Hoc orationis ornamento, quo unus senarius in duas personas ita distribuebatur, ut alterius verba alteram versus partem obtineret, in diverbiis sæpissime et Sophocles et Euripides, Aeschylus autem numquam nisi semel in Prometh. 979—80. usi sunt, ubi colloquentium animos vehementius commotos inducebant. Fuit etiam, ubi in eodem versu colloquentes bis vel etiam ter

Viderunt æquabilem sceleris et poenæ compensationem. Ut Clytæmnestra, nulla religione tacta, omnia necessitudinis vincula revellerat, quibus cum Agamemnone fuerat conjuncta, ita Orestes, omni in matrem pietate exuta, vim ei et manus intulit. Quas leges illa sanctissimas impie factis violaverat, earum fidem frustra imploravit [1]). Illa quomodo Agamemnonem, quum maxime tutam ac tranquillam se vitam acturum speraret domum redux, tot tantisque laboribus ac periculis perfunctus, dolo circumvenerat et nece affecerat perfidissima; simillime ipsa a filio, quum se putaret esse ab illo tutissimam, quippe quem mortuum esse ab auctore accepisset locuplete, malis artibus decepta crudelissime est trucidata. Per simulationem intimi gaudii atque caritatis maritum Troja reversum Clytæmnestra epulis liberaliter receperat, epulantemque insidiis oppresserat; amicitiam simulans et hospitium Orestes sibi introitum in ædes regias paravit fraudisque nihil suspicantes parricidas ferro aggressus est. Quibus ex omnibus rebus apparet Sophoclem voluisse sub oculos spectantium ponere, quanta diligentia prospiceret justitia divina, ut par pari referretur [2]).

---

mutarentur, ut Soph. Electr. 1502; Philoct. 753, 810, 814, 816; Oedip. Col. 832; Eurip. Hippol. 310; Alc. 391, 1119; Cycl. 682; Herc. F. 1418, 1420. Cfr Hermanni Doctr. metr. § 651.

[1]) Cfr Hagemanni diss. de Fato Sophocleo, partic. II p. 3.

[2]) Non possumus nobis persuadere, Boeckhium, doctissimum virum, non secus statuere, quum Gr. Trag. princip. p. 244 ita scribit: "Necessitatem fati inexpugnabilem tragoedia docet, quod ita severum est, ut eo gubernante vel is, qui inscius aut invitus peccaverit, suis facinoribus in perniciem præceps detur; amatque id imprimis talionibus jus exercere". Quid enim? Consentaneum est, poetas tragicos, si ejusmodi fati necessitati subjectos esse homines existimassent, res ab iis gestas eos præstare voluisse? Nego Aeschylum certe et Sophoclem ea fuisse sententia. An censebimus ab Aeschylo Orestem, ut matrem interficeret, fato coactum induci? Quasi vero deliberatio illius et magna illa animi dubitatio non probet in eo ipso positum fuisse, quid facturus esset. Clytæmnestra Aeschylea conatur illa quidem culpam sceleris a se transferre tum in alastorem gentis Atridarum tum in fatum nescio quod, sed et chorus senum et Orestes culpa eam teneri confirmant. Quid? Agamemno Aeschyleus num fato coactus est, ut filiam sacrificaret? minime. Nisi forte ad rem nihil id pertinere putabimus, diu multumque eum secum deliberasse, utrum facinus illud committeret, necne. Eandemque esse rationem omnium eorum, quos agentes induxerunt et Aeschylus et Sophocles, quum ex hac tragoedia tum ex aliis omnibus facile nos inventuros confido, si rem diligentius perpenderimus. Sua sponte, nulla aliena vi impulsos voluerunt homines res gerere. Attamen pro certo habent, deos immortales imprimisque Jovem ita rerum omnium humanarum cursum dirigere, ut, qui jura divina violare audent, ii poenis semper meritis afficiantur; qui autem officia sua religiose colunt, præmiis ii ornentur atque honoribus. Cfr Blümneri diss. üb. die Idee des Schicksals in d. Tragödien des Aeschylus p. 145; Dronke l. l. p. 9; Fährmanni diss. üb. die Schicksalsidee in die Tragödien des

Vituperarunt multi[1]) Sophoclem, quod Electram foris, quum lamentationes intus vulneratæ matris audivisset miserabiles, a fratre po-

Sophocles p. 4; Platner. l. l. p. 19 sqq. Lübker: die Sophokleische Theologie und Ethik I. p. 57, II. p. 68; Stacke: Andeutungen zu einer Aeschylischen Theologie Jahrb. f. Philol. Supplementb. 1851. p. 418 sqq.; J. A. Hartungi Aeschylos Eumeniden p. 11; Fragmente p. 10; Hegeli Aesthetik V. III. p. 366; Ehlingeri diss. de Fati apud Sophoclem notione, indole, vi p. 20; Hagemanni diss. de Fato Sophocl. partic. I. p. 57—73; Nægelsbachii diss. de relig. Orestiam continentib. p. 4, 7; Hoppei l. l. p. 21.

[1]) De hac re ita disputat Trahndorffius l. l. p. 8: Ich kann es wohl begreifen, dass ein tiefes leidenschaftliches Gemüth, über seinen Groll, der immer wieder gereizt wird, brütend, die Erbitterung bis zum Muttermorde steigern, diesen vorbereiten, ja, vielleicht in einem Augenblicke, wo die Erbitterung aufs höchste gestiegen ist, den Dolch selbst gegen die Mutter züchen kann; aber durchaus nicht, dass eine Tochter, besonders nach einem Auftritt, wie der eben verlebte, bei dem Geschrei der sterbenden Mutter diese Worte sollte sprechen können. Diese gleiche Kraft des Hasses und der Liebe ist mir durchaus der Unwahrheit und Unnatur verdächtig. Sie könnte ein Gemüth, in welchem sie statt fände, nur zerreissen. Ich kann es daher dem Brouwer (Op. I. p. 157) nicht verdenken, wenn er jenes **παῖσον** u. s. w. für den plötzlichen Ausbruch leidenschaftlicher Wuth, gleichsam für einen vorübergehenden Wahnsinn erklärt. Quid igitur? Meliusne moribus Electræ Sophocles consuluisset, si amore eam hoc loco ac misericordia matris motam esse induxisset, ubi in eo erat, ut, quod tamdiu ei in optatis fuisset, consequeretur. Nihil enim ante fratris reditum tam expetiisse eam videmus, quam ut poenas parricidæ per fratrem feliciter reducem quam celerrime patri persolverent scelere dignas, nihil eam ad ultionem post patrem occisum antea neglexisse. Fratrem in tuto collocaverat; de officio ulciscendi eum semper commonuerat; odio parricidas implacabili aperte erat persecuta; perpetuo patrem dolendo, quantum potuit, in iis vindicaverat; sororem, itidem ut se gereret, semper exhortata erat; nihil eam neque preces amicarum nec monita sororis nec facta ei melioris fortunæ spes ne mors quidem proposita permoverat, ut de sententia sua decederet animumque mutaret. Quid? quod morte fratris nuntiata constituit aut mortem gloriosam oppetere aut necem parricidis afferre? Hoc animo in inimicos affectam, quorum inimicior erat mater, quippe cujus auctoritate omnia in patrem nefarie facta admissa essent, eam igitur, quæ hoc erat animo, nonne conveniebat, quum, quo tantopere intendisset, eo tandem se pervenisse videret, cupiditatum impetu abreptam, iram suam atque odium acerbissimum non morari? An putabimus aptius fuisse et rei veritati ac naturæ convenientius hoc tantum odium, religione præceptum et injuriis cumulatis adauctum, subito ab ea tum depositum esse, quum in eo esset, ut satiaretur? Ita vis odii minuta illa quidem esset, sed quo jure id factum esset, ipsi viderint, qui hoc desiderant. Vereor equidem, ne velint inconstantia affectos mores Electræ. Hoc vero esse vitium a Sophocle desiderare in moribus Electræ exprimendis, si ipsi non intelligimus, nos docet Aristoteles (art. poet. 14), qui præcipit, ut mores agentium vel in inconstantia sint constantes, et Euripidem vituperat, quod Iphigeniam in Aulide sibi non constantem finxisset. — M. Rappius (Geschichte d. gr. Schauspiels p. 71) putat Sophoclem hanc fabulæ partem animo anxio scripsisse, quod insita ei ingenii lenitudo abjicienda esset, ut horrendæ illi famæ satisfaceret. Scilicet

stulantem induceret, ut alteram etiam, si posset, plagam ei infligeret. Hanc hortationem immanem esse dicunt et omni muliebri naturæ repugnantem. Quasi vero moribus Electræ id non optime conveniat, morte parricidarum mortem patris expiatam velle. An immanius erat et magis naturæ muliebri contrarium ea esse voluntate, postquam frater ei erat redditus, quam antea? At enim de matricidio antea numquam cogitavit Electra. At id quidem falsum esse quum omnis fabulæ ratio docet tum multi loci confirmant. An ideo non fratrem e manibus matris eripuerat et pædagogo educandum tradiderat, ut patris necem quando ulcisceretur? Quid? Aliam ob rem num tam vehementer dies noctesque dolebat, nisi quod exspectatione diutius frater domum redire cunctaretur, ut a parricidis justas cædis paternæ poenas repeteret domumque patriam restitueret? Quem dolorem quum deponere nollet neque parricidis quicquam cedere, nonne pessime eam non modo Aegisthus, verum etiam mater habuerunt atque etiam de medio tollere cogitarunt? Nuntio de morte Orestis allato Clytæmnestra gaudet, quod tandem esset periculo illo capitis liberata, quod sibi et Orestes et vero Electra minata esset. Neque vero Electra non compluribus locis diserte profitetur mortem se matri cupere. Ut quum prædicat se fratrem, si posset, patris ultorem educaturam[1]) et urnam manibus tenens quum queritur[2]), quod frustra frater sæpe promisisset, matrem ut ulcisceretur, se compariturum. Eademque videmus eam alias etiam pronuntiare[3]), tantum quod non ad matrem solam, sed ad Aegisthum quoque illa pertinent. Quæ quum ita sint, optime Sophocles mihi videtur in moribus Electræ describendis sibi constitisse, quum, quomodo antea semper Orestem ad ultionem exigendam exhortata esset, sic eam in re ipsa peragenda ei deesse nollet. An fortis animi et constantis, qualis fuit Electra, non est, nulla re deterreri, ne id, quod pro justo habeat, gestum velit? Nihil autem Electram tam sibi persuasisse, quam pietatis esse cædis paternæ auctores cæde afficere quum ex aliis locis apparet tum vero e vv. 246—50. Hac in re utrum recte statuerit Electra, an erraverit, id hoc loco non quærimus; illud unum negamus, Sophoclem in moribus ejus exprimendis errasse. At majore est morum atrocitate Electra, quam natura fert muliebris. Scilicet minus atrox

---

alias numquam in horrendis memoriis Sophocles versatus est. An potuit in aliis hujusmodi rebus sine ullo animi angore versari, in his non potuit? Longum est omnes, quas docuit, fabulas persequi. In Oedipo vero Tyr. nonne atrocissimas res Sophocles summa cum laude tractavit? Cfr. præterea Westrikii l. l. p. 161, ubi de hac re contra Brouwerum disputat et Queckii diss. de Euripidis Electra p. 57.

[1]) vv. 604—5. [2]) vv. 1154—6.

[3]) Ut vv. 114—16, 209—210, 246—7; 455—6; 811, 953.

est Clytæmnestra mater. Quæ non modo maritum, nobilissimum regem liberorumque ex ea susceptorum patrem, crudelissime trucidavit diemque cædis tamquam festum celebravit, sed filio etiam quum necem ipsa paravit tum exsultavit lætitia, quod casu eum periisse putaret, et filiam, quæ facinora illius vituperaret, primo servæ loco habuit, deinde in specu subterraneo vivam includere constituit. Quid? quod diis etiam preces adhibere ausa est, ut liberos malis afficerent ac morte? Est tamen hoc loco considerandum eos, quorum mores Sophocles depinxit, heroicorum esse temporum. Illius autem ætatis homines quibus virtutibus insignes fuerint, ex Homero compertum habemus. Clarissimi illi erant quum corporis robore tum animi fortitudine atque constantia rerumque gestarum gloria; moderatione cupiditatum et animi temperantia non item[1]). Cadere sciebant, non cedere. Hæc eadem de Electra Sophoclea dici possunt. Generosa est et fortis et constans; excelse et sentit et dicit; nihil ne mortem quidem tam metuit, quam ne officio suo desit honestatemque deserat; vehementior tamen est atque iracundior; moleste fert aliter, atque ipsa, sentientes iisque, si contra dicunt, facile irascitur. Ut virtutem mirifice amplexatur, ita a turpitudine abhorret vehementissime. Patrem, qui gloria sui nominis orbem terrarum impleverat, reducem a matre cum Aegistho adultero consociata nefarie trucidari viderat. Quo factum est, ut, quanto majore patrem complectebatur admiratione et caritate, tanto acerbius et in matrem et in Aegisthum conciperet odium. Quod odium magis magisque in dies augebatur, quum matrem videret non modo non a patria, ut oportebat, discedere[2]), sed patrii etiam imperii potitam Aegistho nubere eumque in partem gubernationis vocare. Hæc flagitiosissima audacia nullam ei excusationem habere videbatur. Jura familiaria conculcaverat; leges, fidem, pietatem, abjecta omni verecundia, contriverat. Quamobrem eam non jam pro matre habet Electra, sed pro impia ac superba domina. Abominatur eam cædemque ejus expetit tamquam hominis domui patriæ infestissimi. Deorum fidem atque auxilium ad eam puniendam implorat. Deos vindices patrisque manes obtestatur, ut fratrem ultorem in patriam salvum restituerent. Fratrem identidem per nuntios vindictæ commone-

[1]) Cfr. Hegeli Vorlesungen üb. d. Aesthetik III p. 362.

[2]) Mos erat apud antiquissimos Græcos religione et legibus sanctus, ut, qui cædem fecerant, solum verterent, quippe quod quum terram tum deos patrios polluere viderentur. *Μιάσματα χώρας καὶ θεῶν ἐγχωρίων* fuerunt; quare posterioribus temporibus, quum legibus publicis præscriptum esset, quomodo homicidæ punirentur, primum iis interdictum est, ne loca publica aut templa adirent neve sacris aut concionibus interessent. Cfr. Polluc. 8. 66; Mülleri Aeschylos Eumeniden p. 127; Schoemanni Aeschylos Eumeniden pp. 16 et 69; Agam. 1410—11; Oed. Tyr. 97.

facit. Iniquissimo animo promissum ejus reditum exspectat. Amicas et sororem, quum jubent eam æquo animo fortunam ferre et temporibus concedere, acerbe et contemptim rejicit. Totam se ulciscendi cupiditati tradit, nihil cogitat, nihil expetit, nihil agit, nisi ut poenas a parricidis repeteret. Atque hoc tantum studium minime celat, sed ingenue profitetur. Quo fit, ut severius crudeliusque in eam consulant parricidæ. Hoc modo ad pietatem erga patrem accedunt acceptæ injuriæ, quibus impulsa etiam magis vindictam expetit. Audit præterea mortem suam a parricidis esse constitutam; audit a diis matrem mala et mortem precantem; videt lætitia gestientem matrem, quum misera fratris mors nuntiatur. Quæ omnia cumulum iræ atque odio in matrem additura quis non intelligit? Ad Aegisthum occidendum ut opem sibi ferat, sororem obsecrat; de matre tacet, non quod morte eam affectam nollet, sed quia persuasum habuit, hujus rei mentionem si fecisset, sororem statim adjumentum denegaturam. Nihilominus quum Chrysothemis negat se quicquam auxilii præstaturam, Electra injurias illatas solam persequi animum induxit. Sic affecta quid mirum, si fratrem rem suscipientem eam, quam tam diu gestam vehementissime cupierat, incitat atque inflammat? Immo consentaneum erat odio ejus implacabili, quod nulla re nisi sanguine effuso parricidarum satiari potuit.

Neque vero ii sunt audiendi, qui dicunt Sophoclem imprudenter ita fabulam composuisse, ut matrem Orestes primum necaret, deinde Aegisthum[1]). Vidit nimirum Sophocles omni animi impetu omnique

[1]) Westrikius dicit Sophoclem eo, quod non Aegisthum ante matrem, sed contra, ab Oreste interfici fingeret, in id vitium incidisse, ut ab initio ad finem usque ea non proponeret, quæ auditores tenerent et eorum intentionem omnesque animi affectus excitarent et augerent. In illa, inquit, scena, qua matrem occidit Orestes, maximam vim tragicam exseruerat Sophocles et, quum altius se efferre non posset, non aliter fieri poterat, quin sequentia languerent. Et Sophocles scilicet id nesciebat. Quid? si fabulæ consilio id ipsum congruere existimavit, quod vehementer concitati spectantium animi iis, quæ post matricidium agerentur, aliquid sedarentur, num dubitabimus, quin recte intellexerit? Puto hanc fabulam optime ita esse compositam, ut atrocior illa matris cædes conficeretur, dum animi nonmodo agentium, verum etiam spectantium quam maxime commoti essent iis rebus, quæ a parricidis essent gestæ. Quæ opinio quam vera sit, ex disputatione mea satis apparere spero. — M. Rappius l. l. ita disputat: Sophokles hätte diesen Wettstreit mit Aeschylus nicht eingehen sollen, dem er hier nicht gewachsen war. Seine weiche Natur konnte sich an diesem Greul nicht messen. Aeschylus lässt den Aegisth zuerst tödten und dann folgt eine kurtze ergreifende Verhandlung zwischen Clytämnestra und Orest. Diese fällt hier eigentlich weg, aber die Abschlachtung des nachher erscheinenden Aegisth ist viel weniger tragisch, er ist ein zu niedriges Opfer um das Stück zu beschliesen und das beleidigt. Atque in eandem fere sententiam disputat Mesnard in L'Orestie, Trilogie Tragique D'Aeschyle pp. 65—66.

cupiditatum ardore ad matricidium perficiendum opus esse, ne hæsitaret auctor neve rei atrocitate deterreretur. Quod Oresti Aeschyleo accidisse vidimus, qui, nisi a Pylade oraculi Apollinis commonitus esset ac jurisjurandi, a se non impetrasset, ut manus afferret matri. Fieri enim non potuit, quin liberis, quamvis matrem vehementer odissent neque vero materno illam esse animo viderent, inhumanum tamen, perturbationibus animi sedatis, videretur et contra naturam, cui vitam acceptam referrent, ei mortem inferre. Futurum autem esse, ut, utracumque cædes prior facta est, ea non paululum resideret iracundiæ vis et animi tumor, neminem non videre puto. Quod si ita fuit, prudentissime mihi videtur Sophocles fecisse, quod atrociorem cædem ab Oreste priorem fieri fecit, quippe qui vellet nihil contentionis secum ipsis neque illum nec Electram habere, qualem habuit secum Orestes Aeschyleus.

Hac eadem ratione ductum puto Sophoclem noluisse ullum sermonem inter matrem et filium in scena ante cædem conferri. Qui si esset institutus, facile factum esset, ut aspectu et precibus matris filius misericordia commotus dubitatione æstuare inciperet. Nunc autem, ubi domum ingressus extemplo in matrem, nulla omnino missa voce, invadit, nihil habet loci ad se redeundi. Summo igitur animi impetu abreptus ædes intraverat, capitalis in patrem admissæ fraudis memor, opinione majoribus carissimæ sorori illatis injuriis vehementer commotus, Apollinis jussu deorumque precibus confirmatus; eodemque plane modo affectus, interpositis nullis omnino rebus, quibus animi commutatio afferri posset, matrem ferro tamquam inimicissimam mulierem petivit. Ita nihil Oresti Sophocleo opus erat, ut a Pylade de præcepto Apollinis admoneretur. De hoc satis admonitum eum voluit Sophocles ipso aspectu ac præsentia Pyladis. Quamque probe memoria tenuerit ipse Orestes oraculum Apollinis, ex eo apparet, quod, facinore confecto, domo egressus Electræ quærenti, res quo loco essent, bono, inquit, si

---

cui disputationi his verbis finem, facit: nous croyons que Sophocle avait été imprudent de remanier un sujet dont son devancier avait pris trop fortement possession pour qu'on pût le lui dérober et le renouveler heureusement par des combinaisons nouvelles. Sophoclem, quum Electræ fabulam daret, cum Aeschylo contendisse eique palmam cogitavisse eripere, equidem neque umquam audivi nec, si audivissem, credidissem. Constat enim inter omnes altero tempore Orestiam ab Aeschylo doctam esse, altero Electram a Sophocle. Ac tragici Græcorum, quum in rebus fabulosis semper versarentur earumque non ita multæ, ut ait Aristoteles, aptæ essent, quæ in tragoediis proponerentur, eam inierunt rationem, ut, quæ aptissimæ viderentur, eas suo quisque ingenio, suo tempori, suo consilio convenienter ac sæpe etiam alius aliam famam secutus tractarent. Hoc idem Sophocles quum faceret memoriam Orestiam tractans, vix dici potest cum Aeschylo in certamen descendisse. Cfr. Hartungi Aeschylos Werke V. V. p. 12.

bene respondit Apollo. In hoc videmus eum positum velle, matrem occidens utrum recte fecerit, necne. Quod autem addidit, nihil amplius sorori timendum esse, ne ab impia matre vexaretur, eo ostendit, salus ejus quantæ curæ ipsi fuisset. Matricidium tamen ne peractum quidem diligentius considerari voluit Sophocles et judicari. Quapropter rem ita instituit, ut subito colloquentibus interveniret Aegisthus. A re gesta omnium ita animi quum spectantium tum vero agentium peropportune avocantur. Quod patris ulciscendi officium Oresti erat impositum, id, antequam Aegisthum sceleris materni illum satellitem atque administrum occidisset, exsecutus minime erat. Conspecto igitur illo in regiam se Orestes cum comitibus recipit, utque præceptum Apollinis diligenter teneret neve juri talionis omni ex parte non satisfaceret, dolo eum quoque et simulatione circumvenit. Hominem Phocensem se esse iterum simulat. Atque Electra, ut antea, ita nunc eum exhortatur et adjuvat.

Neque vero chorus non magno studio instat atque urget dissimulationem et cædem Aegisthi. Ad strenue agendum adhortatur Orestem. Electræ suadet, ut lenitatem simulans Aegisthum blande appellaret. Hoc loco videtur Sophocles ante oculos sibi positum habuisse chorum Choëphororum Aeschyli, cujus fraude vidimus factum esse, ut nihil mali suspicans in insidias Aegisthus incideret. Quemadmodum autem chorus Sophocleus minorem, quam Aeschyleus, vim habet ad suæ uterque fabulæ actionem, item hoc loco Electræ chorus ad rem gerendam non tanti est momenti, quanti illud erat consilium, quod chorus Choëphororum nutrici dedit. Est tamen documento hunc chorum, sicut ceteros et Sophocleos et Aeschyleos, actoris partes tueri, non spectatoris, nullo partium studio capti. Totam per fabulam ab Electra stat cum eaque sentit, nisi quod, nimis vehementer eam dolere ac parum diis confidere et amicis ratus, ad moderationem adhortatur et patientiam; fortunam ejus commiseratur, solatium ei et meliorem spem afferre studet; conqueritur cum ea de nece Agamemnoni impie illata, precatur necis auctoribus mortem scelere dignam; Chrysothemim jubet consilio sororis inferias matris abjiciendi ac munera sua ipsarum patri afferendi obtemperare; Clytæmnestræ cum Electra altercanti neglectionem exprobrat rationum ab Electra allatarum; mortem Orestis nuntiatam cum lamentatione deque salute domus Agamemnonis prope desperans deplorat; Electræ pietatem a sorore desertæ summis laudibus celebrat; impietatem Chrysothemidi si non aperte, at tecte tamen objicit; reducem Orestem videns ac salvum sorori redditum gaudio lacrimas profundit; Clytæmnestræ lamentationem a filio percussæ audiens horret ille quidem, sed debitam tamen atque justam esse prædicat illam cædem eàque et civitatis et gentis Agamemnoniæ salutem expeditam. Atque

Aegisthum accedentem conspicatus ad silentium omnes adhortatur. Oresti deinde et Electræ ea, quæ supra diximus, suadet. Denique occiso etiam Aegistho ad libertatem pervenisse gentem Atridarum canit. His omnibus rebus consideratis quis est, quin concedat chorum hunc actionis participem fuisse. Tantum eum egisse, quantum moribus ejus conveniret, neminem non facile videre arbitror. Sed ad Aegisthum revertamur.

Certior jam factus de nuntio allato domum alacri animo advolat. Quo ubi pervenit, ad Electram potissimum se convertens, num, ubi essent peregrini, cognitum haberet, magna cum irrisione interrogat. Ad hæc Electra, ut chorus suaserat, comitatem simulans et obsequium ita respondet, ut verba ejus ambigua in suam sententiam interpretatus de fide nuntii summopere sibi persuaderet. Omni igitur metu deposito Electræ, silentio imperato, ut fores regiæ aperiat, superbe præcipit, ne quis amplius, mortuo conspecto, inani inductus spe imperium suum detrectet. Quo facto Oresti etiam ad corpus mortuum astanti imperat, ut velum ab ore mortui removeret. Hoc quum Orestes dicit Aegisthi esse, non suum: recte, inquit, suades et, Electram compellans, Clytæmnestram mihi arcesse. Quibus verbis factis et velo sublato quum mortuam videt reginam tum in vitæ discrimen se ipsum vocatum. Exhorrescit, lamentatur, se ipsum conqueritur; Clytæmnestram autem conjugem nihil curat, nihil eam commiseratur. Qua ex re ut ex omni sermone, quem cum Electra et Oreste habuit, manifesto apparet, quibus moribus fuerit. Timidus erat ac superbus; ad se ipsum omnia retulit; Clytæmnestræ se dedidit alia nulla re commotus nisi libidine et imperii cupiditate. Qualem igitur Electra cum choro colloquens in primo episodio eum depinxerat, talem se ipse in scenam progressus præstitit. Oderat Electram, quod contumax esse auderet; oderat cives, quod spes libertatis in Oreste ponerent; Orestem metuit, ne redux civium studio ac spe nisus illatas injurias vindicaret. Itaque nihil acceptius ei accidere potuit, quam ut interiret Orestes.

Quæ ironia[4]) apud Sophoclem sæpenumero et in verbis agentium et in factis cernitur, ea non modo in Clytæmnestra, verum etiam in

---

[1]) Man pflegt beim Plato solche Art von Darstellung, wo vielmehr der Zuschauer selbst erst die Umkehrung zu machen und selbst erst das Wahre abzunehmen hat, Ironie zu nennen und allerdings ist solche aller echten Darstellung unentbehrlich; in demselben Maass als Aeschylns sich zur Darstellung erhebt, nähert er sich auch dieser Ironie an, und bei Sophokles ist eigentlich alles davon durchdrungen. Verba sunt Gruppei in Ariadn. p. 737. In eandem sententiam disputat Bodeus (Gesch. d. Hellen. Dichtkunst V. III. ı. p. 384). L. Benloewus in diss. de Sophoclеæ dictionis proprietate p. 54 de hac re ita disserit: duplex est ironiæ hujus tantopere a recentioribus criticis laudatæ ratio aut in solis factis aut simul in verbis

Aegistho quam maxime conspicua erat. Quo securiores se putant ab Oreste, eo magis iis periculum ab eo appropinquat atque imminet. Lætitia exsultant, quod ad voluntatem iis res fluere viderentur, quum maxime fortunam suam deplorarent oporteret. Tam in tuto se numquam confidunt esse collocatos, quam eo ipso tempore, ubi in eos gladium Orestes destrinxit. Qui error quanto major, tanto acerbior." Verba sæpe tam ambigua faciunt, ut spectatores, quibus verus rerum status cognitus esset, in contrariam partem ea facile interpretari possent. Quæ ambiguitas verborum qualis sit, quum aliis e locis animadverti potest, tum e sermone illo, qui inter Aegisthum redeuntem collatus est et Electram.

Sunt, qui dicant Aegisthi personam tragoediæ majestate parum dignam esse prudentiusque Sophoclem fuisse facturum, si in scenam eum non induxisset[1]). Fateor Aegisthum ita moratum esse, vix ut in eum ea quadrare, quæ Aristoteles de homine tragico præcipit[2]), dici possint. Sed tenendum est eos tantummodo homines ab Aristotele intelligi, qui primas agunt. Aegisthus autem non magis primas sustinet, quam altera ex parte Orestes. Quare non tam in iis fabulæ vis tragica, quam in Electra et Clytæmnestra cernitur. Jam vero memorias quasdam fuisse, quas mutare poetis tragicis non licuerit, Aristoteles docet[3]). Ex quibus una quin fuerit memoria de Oreste a parricidis poenas repetente, vix est dubitandum. Quæ si ita sint, perspicuum est, quamobrem esse Sophocli visum sit, quod, in qua tragoedia Orestes patrem ulciscens fingeretur, in eadem Aegisthus, sua indutus persona, oculis spectantium subjiceretur, quippe quem memoria proditum esset si non auctorem cædis Agamemnonis, at Clytæmnestræ conscium atque adjutorem fuisse[4]). Neque profecto Aeschylus in scenam Aegisthum non induxit et in Agamemnone et in Choëphoris; noluit tamen partes ei multo graviores tribui nec moribus eum ornari melioribus. Clytæmnestræ est minister et adjutor et apud Aeschylum et apud Sophoclem, magna affectus ignavia et superbia. Ante Clytæmnestram eum ab Oreste occisum Ae-

---

posita. Cfr. Thudichum: die Tragödien des Sophocles II. p. 332 et Th. Bergk, Griech. Litteratur p. 365 in Allgemeine Encyklopädie d. Wissenschafte und Künste von Ersch u. Gruber, 81 Th. Leipzig 1863.

[1]) Cfr. M. Rapp. et Mesnard. ll. ll. et Westrikii disput. p. 180. Sophocles quam fideliter se ad Homeri auctoritatem in moribus Aegisthi depingendis applicaverit, ex Homeri Od. 3. 310 perspicuum est.

[2]) Art. poet. cc. 13 et 15. [3]) Art. p. c. 14.

[4]) Eandem puto fuisse causam, cur Pyladem, Orestis amicum et comitem, induceret, etsi nihil prorsus neque diceret neque vero ageret. Tam fama apud omnes Græcos celebrata erat Orestis et Pyladis amicitiæ conjunctionisque necessitudo, ut alter sine altero cogitari non posset.

schylus finxit et id optimo jure propterea, quod a furiis agitatum in posteriore ejusdem trilogiæ fabula matricidam inducere voluit. Contra Sophocles, qui furias remotas voluit, Orestem post cædem matris ad Aegisthum trucidandum se conferentem aptissime fecit. Ac sicut apud Aeschylum ante matricidium contentio inducta est inter matrem et filium, similiter cum Aegistho, antequam ad mortem protruderetur, Orestes apud Sophoclem altercationem habet. Ex qua apparet Aegisthum neque negare in culpa se esse neque nescire æquo animo mortem subire. Adde quod mortuo, quem Orestem esse putavit, conspecto non ita gaudio effertur, ut, quid propinquus propinquo debeat mortuo, obliviscatur, intelliges eum quamvis scelestum non omnis omnino dignitatis gravitatisque expertem fuisse. Orestem patris ultorem agnoscens precatur, ut causam sibi suam liceret vel paucissimis dicere. Hoc tamen Electra fratrem, ne pateretur, per deos obsecrat et quomodo ad matricidium, sic ad Aegisthum extemplo occidendum omni studio exhortatur occisumque ut avibus projiceret et canibus [1]). Hac una re dicit mala sua diuturna vindicata esse. Et Orestes sororis monitis obtemperans Aegisthum jubet eo abire, ubi patrem interfecisset, ut eodem loco et ipse mortem obiret [2]).

Videmus Electram ut primis, quæ in scena fecit verba, ita extremis vindictam cupide poscere. Primum autem patris tantummodo nefariam necem vindicatam cupit, deinde vero, quo magis variis de causis ira incenditur, eo vehementius sua etiam causa ultionem expetit. Quid? quod ad cædem Aegisthi fratrem adhortans nihil nisi de suis malis ulciscendis cogitat? Nec sane mirabile hoc quidem. Ita enim natura homines sunt comparati, ut perturbationum impetu abrepti a recto facile aberrent imprudentes. De Electra autem videndum est ne acrius, quam justius existimemus. Natura vehementiorem eam quidem fuisse atque iracundiorem [3]) facile apparet, sed qua de causa efferverit, non est prætermittendum. In matrem tanto acerbiore odio atque ira incenditur, quanto magis videt eam sine ullo pudore scelestissima quæ-

---

[1]) Usitatum fuisse inimicos mortuos canibus abjicere et avibus non modo ex Homeri videre licet Od. 3. 259; Il. 22. 339—54; 23. 21; verum etiam ex aliis multis scriptorum locis, ut Aeschyli Sept. c. Th. vv. 1013—25; Sophoclis Antig. vv. 198—206; Eurip. Suppl. vv. 18—19, 494—505; Phoeniss. 776; Aeliani V. H. 4. 7; Plat. Leg. 9. 873. Cfr. Lübkeri diss. üb. die Sophokl. Ethik II. 52.

[2]) Hinc denuo videmus, quantum Sophocles in poenæ et sceleris æquabilitate posuerit.

[3]) Confitetur et ipsa Electra iratiore se esse animo ac præsentes res molestius ferre, hoc tamen rerum iniquitate se coactam esse perseverat neque vero dubitat, quin alia quævis ingenua mulier in eadem conditione esset idem factura. Cfr. vv. 221—25, 254—60.

que committere. Viderat eam patri carissimo, clarissimo regi, impiam necem inferre. Satis hoc erat ad indignationem Electræ ac justum dolorem commovendum. At aliis multis nefariis hoc scelus eam cumulare videt. Filio suo necem parat; in patria quamvis parricidio contaminata remanet; regnum Atridarum occupat eorumque in opes involat; cum adultero et sceleris socio conjugium conjungit ac liberos ex eo parit; diem, quo maritum nece affecerat, tamquam festum quotannis celebrat; filiam, patris mortem quod lugeret, quam pessime habet vitaque eam de dolore non desistentem privare cogitat; mortem a diis Oresti et Electræ precatur; denique, nuntiato interitu filii miserrimo, lætitia effertur et filiam fratris casui desperanter illacrimantem irridens in miseria liberorum sicuti in confecta victoria triumphat. Hæc omnia videntem num mirabimur Electram, quæ, qua erat animi excelsitate, nihil contemptius, nihil odiosius, nihil denique detestabilius habuit, quam animi humilitatem atque turpitudinem, ira graviter exarsisse et odium in eam concepisse acerbissimum, quæ omnem pietatem exuisset? Neque vero Aegisthum, qui horum omnium matris scelerum et flagitiorum esset particeps, cur vehementissime odisset, non satis habuit causæ. Soror jam offensionem ejus suscepit, quod demisse pietatem et exiliter ad calculos vocavit in utilitateque positum voluit, utrum colenda esset, necne. Idemque et ipsi choro accidit, ut, si quando dolentem utilitatis eam et commodi sui memorem esse jusserat, magnæ invidiæ ei esset. Nihil pietate in patrem antiquius habuit; nihil officio patris ulciscendi anteponendum existimavit; nihil denique sibi subeundum non esse judicavit, dummodo huic suo officio ne deesset. Et in his ipsis Electræ moribus depingendis et spectantium sub aspectum subjiciendis maximam fabulæ partem videmus versari, ut quam maxime appareat, ad Electram potissimum cum matre ejusque socio contendentem tragoediæ vim tragicam esse revocandam. Ab ea enim omnis fabulæ actio profecta est. Fratrem neci ereptum de officio ulciscendi adolescentem etiam atque etiam admonet, adultumque ad agendum acriter excitat. Qua in re a pædagogo magnopere sublevatur. Ad oraculum igitur Pythicum se confert Orestes consultum, qua ratione poenas cædis paternæ a parricidis repeteret. Consulentique quum id responsum esset, ut dolo circumventis cædem iis pro cæde inferret, hac divina auctoritate confirmatus, domum revertitur eo certo consilio, ut rem, quo modo deus prædixisset, perageret. Quo in consilio etiam magis aspectu miseræ sororis ejusque pietate spectatissima firmatur. Atque in ædes ingredientem precibus deorum Electra fratrem prosequitur et vulneratæ matris clamorem audiens ad preces misericordiæ descendentis atrociter eum ad cædem perficiendam patris commemoratione incitat. Itemque ad Aegisthum quam celerrime interficiendum

vehementer fratrem adhortatur. Quod si factum esset, tum denique a malis se dicit requiescere posse. Hinc apparet, quantam vim ad Orestis consilia et facta Electra habuerit. Ut Aegisthum Clytæmnestra ad cædem Agamemnonis faciendam administrum habuerat, ita Electræ ad id facinus vindicandum Orestes erat adjutor.

Quod vero viri quidam doctissimi[1]) dixerunt alius Orestem moribus caruisse, alius oraculi Pythici esse confectorem deorumque ministrum, alius ulciscendi avidæ sorori satellitem, alius tamquam instrumentum fato destinatum ad injurias puniendas, id ut recte eos dixisse credam, a me impetrare non possum. Quid enim? Si verum est, quod disputat Aristoteles[2]), mores agentium in eo cerni, quo appareat, studium eorum quale sit, utrum exoptent aliquid, an fugiant, dubitabimus, quin morum compos fuerit Orestes? Quem statim in initio fabulæ audimus jam pridem cupidum esse patriam redeundi; quem ipsum videmus nullo auctore, nullo ne conscio quidem, postquam Apollinem de patre ulciscendo consulens responsum illud abstulit, par pari ut referret, id constituisse, ut pædagogus hospitem simulans falso nuntio parricidas deciperet aditumque sibi ad illos facilem patefaceret, quo sicut fulgur e nubibus,

[1]) Westrikius dicit l. l. p. 175 Orestem Sophocleum moribus carere et inde animi tranquillitatem illius esse repetendam. Limburg-Brouwerus in comment. suæ p. 161 ita disserit: cum apud Aeschylum Orestes tamquam filius apparet, matris facinora abominans, neque tamen nisi gravissimis minis a Deo ad necandam matrem coactus, Sophocles illum ita introduxit, ut mente divina agitatus, non suo sibi judicio, sed deorum immortalium voce confisus lubenterque illam obsequens, justitiæ divinæ minister vel fere ipse deus videretur. Platnerus (üb. die Idee der Gerechtigkeit p. 147) Orestes, inquit, von den Göttern zum Sühner des väterlichen Hauses bestellt, um die Pflichten des Sohnes zu erfüllen, umbringt ohne irgend ein Bedenken, ohne irgend einen Gewissensscrupel, ohne der Verfolgung der Furien zu verfallen die Clytämnestra, welche die Erfüllung der kindlichen Pflichten nicht beanspruchen kann, da sie in ihrem Benehmen die Mutter durchaus verleugnet. G. Wolffius (Sophocles V. II. p. 121) dicit: Orestes sieht sich nur als ein Werkzeug der Götter an und führt den Befehl, welchen ihm Zeus durch Apollos Mund gegeben, einfach aus. Queckius (Euripidis Electra p. 39) ita disputat: Propositi memor et tenax facinore ipso, non verbis furiosis et impetuosis, indignationem suam et iram demonstrat Orestes. Est tamquam instrumentum fato destinatum et servatum ad injurias puniendas. Rosenbergius (Elektra, eine Tragödie des Sophokles p. 89) hæc habet: Elektra, eben so wie Orest, erscheint nur als Werkzeug, dessen sich das Verhängniss zur Erreichung seiner Absichten bedient. Apud Trahndorffium l. l. p. 8 hoc scriptum est: Dieser kalte Orest, der nur als Werkzeug der rachedürstenden Schwester, von keinem höhern Intresse zur That getrieben, kommt aus der Freude herbei und vollbringt den Muttermord ohne Zucken des Gemüths. Ehlingerus (l. l. p. 50): Ipsi mulieri imbecillæ adjutor accurrit Orestes tamquam cogitationis instrumentum.

[2]) Poet. cc. 6 et 15, Rhet. 2. 21; 3. 16.

ita ex insidiis ultor sceleratis erumperet; quem jam deorum patriorum fidem implorare videmus, de justitia propositi sui prorsus nihil dubitantem; qui denique ne tum quidem, quum complexu sororis carissimæ teneretur, propositi immemor erat, sed gaudentem sororem jubet, gaudio moderantem atque orationi, de iis se docere, quæ ad consilium consequendum idonea essent. At enim hanc mentem dedit ei Apollo. Non est ita. Statutum enim cum animo ac deliberatum Orestes habuit cædem paternam ulcisci, hoc vero quonam modo optime fieret, id Apollinem consuluit. Qui quum præciperet, cædes insidiosa ut insidiosa cæde compensaretur, probavit ille quidem propositum Orestis animumque ejus magnopere confirmavit. Quod quamvis ad rei exitum magni fuerit momenti, nullo pacto tamen potest ita accipi, ut Orestes suo non utens arbitrio nihil nisi jussum Apollinis confecerit. Quod si recte statuimus, sua sponte Orestem et voluntate rem suscepisse, apparet ne eorum quidem sententiam esse veram, qui tamquam instrumentum fato constitutum eum existimaverint. Quid ergo? Tu hoc existimas, dicet fortasse quispiam, nihil Electram, nihil pædagogum apud Orestem potuisse? Ego vero id non existimo, ut e superiore mea disputatione satis, opinor, patet; nego tamen etiam atque etiam auctoritatem eorum tantum apud eum valuisse, ut ad eam, quam suscepit, actionem eâ, vellet nollet, impelleretur.

Neque vero negari potest, quin multo minus Sophocles operæ in Orestis, quam in Electræ moribus describendis collocaverit. Cujus rei causam apparet eam fuisse, quod ad Electram præcipue, cui primas detulit, animos audientium attentos voluerit in eaque potius, quam in Oreste, vim tragicam cerni. In varios igitur illam et diversos status revocatam varieque affectam ante oculos proposuit spectandam, hunc non item. Eo, quo intendit, hic nulla re neque tentatus nec impeditus pervenit, contra illa magis magisque afflictis rebus et ad extremum prope desperatis spectatur. Quo fit, ut immobiles videantur mores Orestis et, ut ita dicam, statarii, contra Electræ. Quasi perfecti illi inde ab initio fabulæ videntur, hi magis semper, fabula progrediente, conformari atqne excoli. Quo tamen dictum nolo, hæsitantem initio ac dubiam de officio suo Electram fuisse ab eaque eam dubitatione ad constantiam pedetentim revocatam esse. Immo e prima jam oratione ejus videmus statutum eam habuisse ac deliberatum prius numquam acquiescere, quam parricidæ cædis paternæ dedissent poenas, quas repetere suum esse et fratris persuasum habuit. Qua de sententia nulla eam re deduci potuisse multis modis in fabula demonstratur. Quamobrem falso nuntio decepta quum fratrem pro mortuo haberet, non dubitavit, quin per se ipsa parricidas ulcisceretur oporteret. Hoc pro-

fecto, si quicquam, tragicum est, in eum locum adductam fuisse filiam, ut non modo cupiditatum ardore abripiatur, sed etiam conscientia sua ac religione sibi impositum judicet, ut omnem in matrem abjiciat pietatem ipsamque mortem ei inferat. Quam rem spectantium nemo summo metu et misericordia non vehementissime commoveri potuit, quod intelligerent vitam hominum ita esse comparatam, ut vel ii, qui animi magnitudine excellerent et probitati quam maxime studerent, tamen, quæ esset manca rerum humanarum ratio, gravissime peccarent. Neque enim potuit quemquam fugere, quin Electra et Orestes, quamquam pia in patrem mente ducti matrem ulciscebantur, jura materna tamen violarent[1]). Quid igitur? Sophoclem unum id præteriit? Minime. Et ipsum putamus id perpulchre intellexisse et spectatores omnes ita sentire voluisse. Electram vero et Orestem tanto voluit dolore commotos, tanto studio ulciscendi incensos, tanta propter acceptas injurias iracundia inflammatos, tanto denique animi ardore cupiditatumque impetu elatos, nihil ut, matri quid deberent, memores essent. Quod imprimis in Electra, ut quam auctorem rei gerendæ esse fingeret, planum reddere studuit. Tam in patrem eam pietate impletam, tam amore in fratrem captam, tam ulciscendi cupiditate tentam fecit, ut horum animi studiorum tota esset. Hæc sanctissima officia duxit, in hæc tota quasi abiit, cetera omnia nullo in numero putavit. Quæ quum ita sint, apparet, cur numquam de jure, quod matris esset, cogitaverit, numquam de suo ipsius dubitaverit, numquam denique a matricidio abhorruerit. Hoc est, quamobrem mores Electræ duriores videantur et quasi ferrei. Quod tamen est intelligendum non in Electram solam incidere, sed in omnes fere personas fabularum Sophoclearum principes. Talis est Antigona, talis Ajas, talis Philoctetes, alii. Suum cuique studium velut dominus plane imperat. In hoc uno positum est, quales sint cujusque mores. Hujusmodi hominum mores exprimentem consentaneum erat Sophoclem matricidas neque ante cædem hæsitantes nec post eam a furiis agitatos fecisse. Sed jam dudum vereor, ne nimius in hac disputatione videar. Verum et ipsa res me traxit et spes ea, quæ me tenuit, fore, ut planum facerem, quamobrem Sophocles multis iisque gravissimis rebus ab Aeschylo recederet imprimisque eo, quod matricidam Orestem furias persequentes non induceret: quam rem permultis poesis tragicæ Græcorum existimatoribus videmus offensioni fuisse. Restat, ut de Euripide easdem res, quas in Choëphoris Aeschylus et in Electra Sophocles proposuerant, tractante dicendum esse videatur.

---

[1]) Ehlinger. l. l. p. 19 scribit: quis est, qui Electræ quamvis integerrima sit et piissima peccatum aliquid adhærere neget?

De Electra Euripidis.

Fabula Orestea familiarior erat Græcis et ad proponendum magis idonea, quam ut Euripides eam non tractaret. Qua in re quamquam ita Sophoclem imitatus est, ut primariam Electræ personam imponeret tragoediamque suam inscriberet Electram, longe aliam tamen rationem secutus est, quam qua in sua fabula ejusdem nominis componenda usum esse Sophoclem vidimus. Neque vero ab Aeschyli ratione, ad quem tamen propius accedebat, quam ad Sophoclem, cujusque multa inventa in suam rem convertebat, non longe recessit. Quod nihil est, cur miremur. Primum enim ipsa rei natura id ferebat, ut, quum poeta tragicus ad ejusmodi res tractandas se applicaret, quæ antea jam ab aliquo poeta certo quodam modo essent propositæ, id quod propter paucitatem earum domorum, quarum fata idonea essent, quæ tragici imitarentur, sæpenumero optimo jure factum esse Aristoteles affirmat, ut in iis rebus, si acta agere noluit, aliter ei esset versandum. Jam vero patet alias etiam multas fuisse res, quibus efficeretur, ut, qui idem argumentum, atque antea alii, tractavit, neque posset neque vellet ad eandem prorsus rationem, ac priores, res, quæ essent proponendæ, dirigere. Quo sunt referenda mutata tempora in iisque posita diversa hominum judicia, quæ ut ceteris artibus, ita poesi tragicæ alia alium colorem, alium stilum afferebant. Eo etiam pertinent uniuscujusque ingenium ac mores, quæ qualia sint, quamvis in temporum moribus positum esse appareat, suam tamen quisque proprietatem habet, ut vetera alii mordicus teneant, alii nova cupide complectantur: quæ proprietas fieri non potest, quin in operibus eorum conspiciatur. Hujus rei illustrissima exempla sunt Sophocles et Euripides. Qui clarissimi poetæ tragici, quamquam æquales fere fuerunt (quindecim annis Sophoclem ante Euripidem natum esse, sed aliquot mensibus post eum diem supremum obiisse ex Apollodori et Suidæ testimonio apparet[1]) quamquam igitur non ita multum Sophocles Euripidi antecessit, maxime tamen diversam in tragoediis suis componendis rationem inierunt. Sophocles vestigiis Aeschyli ingressus[2]) artem, quam tanta cum laude ex exiguis ille initiis excoluerat, ad perfectionem absolutionemque perduxit. Ut Homerus in poesi epica, ut Pindarus in lyricis, sic Sophocles in

---

[1]) Diodor. Sicul. 13. 103; Suidas s. v. *Σοφοκλῆς*.

[2]) Quod auctor vitæ Sophoclis diserte tradidit, Sophoclem Aeschyli discipulum fuisse, id sine idonea causa nonnullos impugnasse demonstrat F. Schultzius (de vita Sophoclis pp. 29 sqq.).

arte tragica Græcorum ad summum pervenit[1]). Quam rem non tantum eo assecutus est, quod singularibus poetici ingenii virtutibus valebat, sed idcirco etiam, quod omnibus artibus, quæ ad antiquam vereque Græcam disciplinam pertinerent, liberaliter institutus summæ, quæ in flore Græciæ viguit, eruditionis et humanitatis compos erat eamque toto pectore amplectebatur. Vir erat antiqua virtute ac fide et magnæ erga deos pietatis laude florebat[2]). Quo factum est, ut majorum mores et instituta in honore semper haberet eorumque auctoritatem civibus suis commendaret et religiones patrias legesque juris divini non scriptas summa reverentia prosequeretur, sancteque observatas vellet. A nova disciplina Sophocles, quæ illis temporibus Athenas a philosophis et rhetoribus importata latius in dies magno cum detrimento moris et publici et privati manabat, castum se et integrum servavit. Quod contra in Euripide usu venisse videmus. Summo studio ad philosophorum rationem se applicavit et ad artes sophistarum[3]). Quorum utrique quæ de diis nova tradiderunt, quæ de rerum natura disseruerunt, quæ de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputarunt, quæ de dicendi artificio præceperunt, illa studiosissime arripuit suaque fecit. Opinionibus igitur, quæ de diis patriis viguerunt, nihil fidei habuit[4]), nihil oraculis, quæ ad Græcorum vitam et publicam et privatam tam vehementer pertinuerunt; de rerum origine quæ poetæ cecinerant, rejecit; facinora deorum et hominum fabulosæ ætatis, quæ memoria hominum et carminibus poetarum tradita erant, pro fictis habuit et commenticiis; mos et instituta vitæ a majoribus accepta, quorum auctoritas apud priores et sanctitas tanta fuerat, nihil apud eum valuit, nisi ratione atque intelligentia probarentur[5]). Qua in re nihil aliud quam suorum temporum rationem et naturam dedita opera secutus est. Eo enim multis de causis illis temporibus imprimisque posteriore Euripidis ætate perventum erat, nihil ut esset, quod Athenienses sanctum haberent, nihil quod violari nefas esse putarent. Cum ratione populari, ad quam summam res tum venerat, summa in rebus novandis licentia conjuncta

[1]) Hanc laudem, quæ, si artis Græcorum ratio habetur, justissima est, Sophocli non modo plerique omnes recentiorum, sed permulti etiam antiquitatis scriptores tribuerunt, ut Xenoph. Memorab. 1, 4, 3; Diog. Laert. 2, 133; 3, 56; 4, 18; Dio Chrysosth. Or. 52; Cic. Or. 1, 4; Ovid. Amor. 1, 15.

[2]) Cfr. Edv. Mülleri diss. de Euripide deorum popularium contempt. p. 8.

[3]) Auditorem Euripidem fuisse assiduum Anaxagoræ physici et Prodici sophistæ præter alios Aul. Gellius 15, 20 memoriæ tradidit.

[4]) Cfr. Edv. Mülleri diss. de Euripid. deor. popul. contempt. p. 9 sqq. G. Stallbaumii diss. de Persona Euripidis in Ranis Aristophanis p. 15.

[5]) Cfr. Schenklii diss. üb. die politische Anschauungen des Euripides p. 6; Nægelsbachii nachhomerische Theologie p. 440.

erat, summa in patrum disciplina et publica et domestica tuenda levitas. Leges et instituta nihil auctoritatis apud vulgus habuerunt; ad suum arbitrium et nutum omnia esse accommodanda sibi persuasit; in utilitate finem bonorum posuit; suum quisque jus in potentia sua positum esse arbitratus est [1]). Cujus morum corruptelæ si non auctores, at fautores fuerunt sophistæ. Qui quum magna subtilitate docerent, nihil per se esse verum omniaque ita esse, ut cuique viderentur, ex omni vita omnia, quæ ad bene recteque vivendum maxime pertinerent, sustulerunt, morem dico et leges et religionem [2]). Quid? quod ingenue professi sunt, leges nihil aliud esse nisi inventa inferiorum, quibus commoda sua contra superiores munirent? [3]). Quod deos commenta esse prædicarunt eorum, qui metu et terrore numinis divini imperitos coercere vellent? [4]). Quod legem naturæ esse perhibuerunt eandemque divinam (utramque enim eandem esse ut Anaxagoræ, ita sophistis placuit), ut, qui viribus sive animi sive corporis plus valerent iis, qui his rebus essent inferiores, imperitarent oporteret? [5]). Hinc quid aliud effectum est, nisi ut boni rectique regula sua cuique utilitas esset? Commoda igitur et emolumenta quibus rebus quisque quam plurima posset assequi, eas omni studio illius erat sibi acquirere. Quarum rerum gravissimam quum in disserendi dicendique facultate positam viderent, sophistæ Atheniensibus artem dialecticam et oratoriam commendarunt. Ipsique earum artium utrâque admirabiliter instructi auditores suos docere profitebantur, quemadmodum qualibet de re in utramque partem ad persuadendum apte disputare possent causamque inferiorem dicendo superiorem reddere [6]). Neque profecto defuerunt, qui eos audire cuperent. Ubicumque prodierunt, magna floruerunt discipulorum frequentia, quibus

---

[1]) Atheniensium illius ætatis morum corruptela quanta fuerit Thucydides quum aliis multis locis indicat tum uberius 3, 82—83 describit, neque vero ex orationibus, quas habentes oratores et legatos facit, ut 1, 76; 3, 40; 5, 89, 105; 6, 85 non dilucide apparet, suum quemque jus e potentia et utilitate mensum esse. Cfr. G. Roscheri Leben, Werk und Zeitalter des Thucydides pp. 214, 406 sqq.

[2]) Cfr. Plat. Theæt. 152; Kratyl. 386: Cic. Acad. 4, 46. Schildeneri diss. üb. die Sophisten p. 395 in Neue Jahrbücher 17 Suppl. band. 1 Heft.

[3]) Cfr. Plat. Gorg. c. 38 p. 483.

[4]) Cfr. C. O. Mülleri Gesch. d. gr. Litt. V. II. p. 184; A. Schwegleri Gesch. der Philosophie §. 11; Valkenarii Diatr. pp. 16, 201; Welckeri Tragödien p. 1007—10; Sext. Emp. adv. Math. 9, 54; Edv. Zelleri die Philosophie der Griechen I. p. 781 sqq. Poetarum Tragicorum fragmenta ed. Wagner. V. III. p. 102 sqq. Plat. Legg. 889. Cic. N. D. 1, 42. [5]) Cfr. Plat. Gorg. c. 39.

[6]) Cfr. Plat. Sophist. p. 232, Apol. Socr. c. 2; Aristoph. Nub. 99, 112—14; 885 sqq. Aristot. Rhet. 2, 24; Cic. Brut. c. 8; Quint. 2, 16; Gell. N. A. c. 3; Senec. ep. 88.

egregie probata est præclara illa doctrina, qua tantum sibi parari posse utilitatis quamque ad mores suos accommodatissimam esse viderent. Inaudita usque ad id tempus disserendi subtilitate eorum dicendique copia stupuerunt omnes neque vero quicquam iis magis expetendum videbatur, quam ut his artibus quam plurimum possent, quippe qui ex usu vitæ quotidianæ viderent, quanto quisque plus linguæ volubilitate et verborum magnificentia valeret, tanto facilius eum hominum voluntates, quo vellet, impellere, unde autem vellet, deducere posse et magnam sibi apud populum auctoritatem conciliare opesque suas augere. Nemo jam bene institutus habebatur, qui scholis sophistarum non interfuisset eorumque præcepta cognovisset. Quæ quum ita sint, non est difficile intellectu, quantam vim in mores Græcorum habuerint sophistæ. Quæ vis quamquam ad ingeniorum acumen excolendum fructuosa erat, vehementer tamen pertinuit ad antiquorum morum commutationem atque corruptelam maturandam, cujus initium jam a communi omnium rerum abundantia et a multitudinis dominatu factum erat, et ad omnia, in quibus pristinæ vitæ simplicitas posita erat, fundamenta labefactanda ac pervertenda.

Horum temporum alumnus erat Euripides. Quod si consideraverimus, nihil mirum videbitur ab ea, quam priores tragici quum in universa tragoediarum compositione tum in singulis rebus exponendis secuti essent, ratione eum longe recessisse. Studuit quam maxime in suam rem convertere præcepta novæ illius disciplinæ, quam magno studio, ut ante diximus, amplexus est et penitus ac diligenter cognoverat. Voluit igitur non tam exemplaria quasi quædam hominum his vel illis moribus præditorum, animo tantummodo a poetis efficta, in rerum autem natura nusquam inventa, ante oculos spectantium ponere, quam eorum hominum vitam ac mores imitari, qui suis temporibus essent[1]). Qua in re quam longissime ab Aeschyli et Sophoclis consuetudine discessit, quorum in tragoediis nihil non est grande, magnificum, excelsum, in suo denique genere summum, nulla persona, quæ non vulgarem vitæ rationem superet. Heroes et mythicæ ætatis homines, ut Aeschylus et Sophocles, ita Euripides in scenam induxit, sed illi quum Homerum secuti præstantioris cujusdam vitæ imaginem exprimerent moresque personarum suarum huic vitæ convenienter grandiores, quam quos illius æ-

[1]) De hac re Sophocles apud Aristotelem (Poet. c. 25) ita dicit: *αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοί εἰσιν*. Euripidem facit Aristophanes in Ranis dicentem: *οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν* - - . Cfr. Ed. Mülleri Gesch. d. Theorie d. Kunst V. I. pp. 17, 146, 223; Stahr: die antike Tragödie, insbesondere die Tragödie des Euripides p. 19.

tatis homines umquam vidissent, depingerent[1]), Euripides tragoediam de hac excelsitate ad communis vitæ humilitatem devocavit et ad usum conditionemque suæ ætatis ea accommodavit, quæ homines, quos induxit, et facientes et patientes fecit. Ita enim sibi persuasit, permagnam se utilitatem æqualibus suis non modo summis, verum etiam infimis allaturum esse, si, quæ ante sophistas in umbraculis philosophorum disputata essent quæque ipsi sophistæ iis traderent, qui haberent, unde satis magnam illis persolverent mercedem scholarum, ea in tragoediis suis proponendo in solem produceret et in commune vocaret. Hinc factum est, ut homines sæpe antiquissimæ ætatis heroesque atque etiam deos, quos in scenam induxit, de rebus ocultissimis et in media philosophia penitus retrusis, sicut de terræ æterisque natura, de rerum origine ac principio, de diis, utrum esse putandi essent necne deque aliis ejusmodi rebus, in quibus versaretur naturæ cognitio[2]), physicorum more subtiliter arguteque disserentes faceret et sophistarum consuetudine de cognitione humana, qualis esset, de boni rectique natura, de humanitatis ac virtutis dignitate, de rebus publicis et privatis, quemadmodum optime essent administrandæ deque aliis multis, quæ ejusdem essent generis, callide et copiose disputantes[3]) et tamquam in foro inter se concertantes pro suisque quemque causis copiosas habentes orationes et politissima arte perfectas[4]). Cujusmodi disputationes orationesque tamquam judiciales, quamvis fuerint idoneæ, quibus spectatorum coetus valde caperetur, magis tamen philosopho et oratori, quam poetæ tragico convenire, quis est, quin intelligat? Mitto enim quod illæ res personis inductis parum accommodatæ sint. Summam tamen eum iniisse gratiam ab æqualibus summamque sapientiæ dicendique laudem etiam apud posteriores consecutum esse propter crebra philosophiæ præcepta sapien-

---

[1]) Hac in re Aeschylum et Sophoclem recte egisse Aristoteli visum esse e Poet. c. 15 apparet, ubi ita disputat: *Ἐπεὶ δὲ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους. Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν οἰκείαν μορφὴν, ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν. Οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥαθύμους καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα, ἢ σκληρότητος δεῖ. Οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος,* Cfr. ibid. c. 25 et Lessingii Werke VI. p. 382 (ed. Lachm.), qui doctissimus vir de hac re magna cum doctrinæ elegantia disseruit.

[2]) Cfr. Valkenarii Diatr. cc. 4, 5. 6; Edv. Zeller. die Philosophie d. Griechen V. II. p. 12 sqq. ed. II.

[3]) Cfr. Valcken. l. l. c. 1 et c. 23 p. 250, ubi præter alia hæc dicit: humanitatis amans Euripides sub heroicis personis, antiquis certe, vitia civitatis Atticæ plurima modeste notavit. Cfr. Welckeri die gr. Tragödien II. pp. 459, 822; Schenklii die polit. Anschauungen d. Eurip. p. 6 et al. m. Hartungi Eurip. rest. V. II. p. 140.

[4]) Atterbom: Poesiens Historia 2. p. 231; Dion. Halic. de vett. script. censur 2, 11.

tesque sententias, quibus tragoediam ornaret et quasi insignibus distingueret, ex multis antiquorum scriptorum testimoniis intelligi potest. Nemini est ignotum, quod Plutarchus[1]) memoriæ prodidit, post cladem illam Siciliensem multos Athenienses locis Euripideis, quorum pulchritudine Siculi magnopere caperentur, memoriter pronuntiandis et vitam et libertatem servasse. Neque vero, quod idem auctor est[2]), quemquam ignorare puto, Lysandrum ceterosque duces hostium Atheniensium, quum Athenas post victoriam ad Aegos flumen obsiderent, a crudeli consilio, quod capere cogitarent, ut urbem illam celeberrimam solo æquarent, parodo Electræ Euripideæ a Phocensi quodam pronunciata avocatos esse, quod immane facinus videretur eam delere urbem, quæ tales ferret homines, qualis esset carminis illius auctor. Quid? quod Aristophanes in Ranis a Baccho, qui populi Atheniensium personam gerit, munus militiæ navalis sustinente, Andromedam Euripideam lectitari tantoque Euripidis mortui desiderio incendi facit, ut ab inferis eum Athenas reducere constitueret, nonne eo significatum vult, Euripidem præter ceteros Atheniensibus in deliciis fuisse? Jam vero constat[3]) Socratem non facile in theatrum venisse, nisi fabulam daret Euripides, cujus sapientia oblectaretur[4]) et Platonem, qui e civitate illa, quam arbitrio suo exstruxit, omnem poesim scenicam vellet exterminatam, videmus tamen Euripidis tragoedias propter sapientiam, qua florerent, commendare[5]). Atque ut ad Romanos veniamus satis sit Quintilianum

---

[1]) Nic. c. 29. [2]) Lysand. c. 15.

[3]) ex Aelian. 2, 13. [4]) Cic. Tuscul. 4, 63.

[5]) Rep. 568; cfr. Dio Chr. Or. 18. p. 477. Quamobrem Plato, quamquam ut poesim universam, ita tragoediam damnaret, Euripideam tamen non omnino explosam voluerit, ita disputat Boeckhius (Gr. Trag. princip. p. 176): ex iisdem rationibus, quibus universam popularium suorum poesin Plato damnabat, ne tragoediæ quidem favere poterat, propterea quod hæc quoque vitas hominum imitabatur, improbos æque ac probos mores describens; deinde Platonis quidem ætate hoc genus poeseos magnam habuit cum rhetorice affinitatem, ex quo Euripides liberius et frequentius de pulpito dicere coepit talia, quæ partim philosophorum scholis, partim forensi suggestui magis conveniret, quam Bacchi theatro. Ex quibus necesse est Platoni alterum cummaxime arrisisse, quod præcepta morum ex histrionum ore sonarent, alterum vero non minus displicuisse, quum poetæ publicis civitatis negotiis sese immiscerent. — Propter multitudinem sapientiæ præceptorum, quæ in tragoediis suis Euripides tradidit, ab antiquis ille quasi cognomine ὁ σοφός appellabatur, ut ab Aristophane in Ran. 776, 1418, 1454 et in Nub. 1378; ab Aeschine in Tim. p. 153 R.; ab Athenæo in L. 6, 270; a Plutarcho in Gl. Ath. p. 92. Cfr. C. Fr. Hermanni Geschichte u. System der Plat. Philosophie V. I. pp. 203, 307; Bergkii relig. com. Att. p. 154; Dio Chr. or. 18, 477; M. Seyffertii Cic. Læl. p. 300. De auctoritate, qua magna floruerit et apud æquales et apud posteriores, vide præter Diod. XIII, 97 quæ disputavit Grysarus in diss. de Gr. Tragoed., qualis fuit

unum audivisse, apud quem hæc scripta sunt: "et sermone magis accedit (Euripides) oratorio generi et sententiis densus et in iis, quæ a sapientibus tradita sunt, pæne ipsis par et dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus." Multis igitur approbantibus tragoedia Euripides, de scena quasi philosophum atque oratorem se gerens[1]), philosophiæ instituta omnibus studuit pereloquens nota facere et ad multitudinis eruditionem utilitatemque transferre.

Neque tamen defuerunt, qui eum viderent hac in re parum tragice agere ob eamque rem vehementer eum vituperarent. Inter quos princeps erat Aristophanes. Hic poeta comicus excellentissimus, qui, quamquam ætatis suæ moribus corruptis ipse erat affectus, sibi persuaserat, omnem publicæ salutis spem in antiquorum morum simplicitate in institutisque a majoribus acceptis restituendis positam esse, omnes rerum novarum studiosos summa salis cavillationisque acerbitate insectatus est omnibusque verborum contumeliis et probris antiquæ comediæ propriis vexavit. Quamobrem ut in Equitibus Cleonem, gravissimum illum vulgi turbatorem, ut in Nubibus Socratem tamquam sophistarum principem acriter impugnavit[2]), sic in Euripidem quum in aliis multis comediis[3]) tum in Ranis acerbe invectus est, quod pristinam tragoediæ gravitatem majestatemque corrupisset et novo illo genere effecisset, ut majora semper incrementa caperet nova disciplina morumque eà aucta corruptela. Quibus in criminibus in Euripidem conferendis quamquam justo longius progressus est Aristophanes, quum culpam multorum vitiorum in eum transferret, quorum tantum abfuit ut auctor ille esset, ut, quantum potuit, ea impugnaret[4]) et quamquam in eo vehementer erravit, quod pristinos mores majorumque instituta putavit restitui cursumque rerum retineri posse, id tamen recte intellexit, multa ab Euripide tragoediæ immixta esse, quæ alienissima essent. Quo imprimis sunt referenda acutæ illæ, e media philosophia repetitæ, sententiæ subtilesque disputationes et ad præcipiendum atque ostentationem factas orationes, quas sæpenumero agentibus vel choro attribuit nulla habita ratione personarum neque conditionis neque sexus nihilque aliud quærens, nisi ut, ipse quid sentiret de rebus divinis et humanis, in aliena persona eloqueretur.

---

circ. temp. Demosthenis p. 14 sqq. Welckerus in Gr. Tragödien pp. 905, 1313—19, Stallbaumius in diss. de Eurip. pers. in Ran. p. 26, Hartungus in Eurip. rest. V. II. p. 566 sqq.

[1]) Ὁ σκηνικὸς φιλόσοφος appellatur Euripides ab Athenæo 4, 158 et a Sexto Empir. adv. Math. 1, 288 ed. Fabric. [2]) Cfr. Lessingii l. l. VII. p. 377 sqq.

[3]) Ut in Thesmoph. præcipue et in Acharn. Præterea in Nub. 1370 sqq.; in Vesp. 1414; in Pac. 147, 532; in Lysistr. 368—9.

[4]) Cfr. Stallbaumii l. l. quum alios locos tum p. 32 et Valckenarii Diatr. c. 23.

Ita enim quamquam negari non potest, quin præclarissima sæpe et saluberrima præcepta civibus suis tradiderit, ad præcipiendi tamen rationem nimis delapsus est. Quo fiebat, ut homines inductos vetera, sive ad religionem sive ad rempublicam sive ad vitam domesticam pertinebant, et suo et alieno tempore examinantes faceret ac reprehendentes, nova autem et ætatis rationi congruentia commendantes[1]). Quid? quod etiam priorum tragicorum imprimisque Aeschyli artem putide nonnumquam et inique censuit, quod simplicior ei videretur neque satis ad meliorem suæ ætatis intelligentiam accommodata? [2]). Quæ in omnibus Græcorum rebus illo tempore dominabatur licentia, eandem in tragoedia obtinere Euripides voluit[3]). Concinnam igitur illam, quam in superiorum fabulis admiramur, compositionem, cujus ratio ita est comparata, ut omnes fabularum partes inter se aptæ colligatæque videantur, nihil ut redundet, nihil sit alienum, ut, quæ aguntur quæque canuntur, quodammodo sint inter se ponderata æquabiliterque temperata, eam, qua Sophocles imprimis floruit, in tragoediis Euripidis desideramus. Non tam totius fabulæ præstantia atque perfectione voluit animos spectantium commovere, quam præcipua singularum partium pulchritudine ac virtute eos mirifice oblectare vel gravissime afficere[4]). Quod partim philosophiæ præsidio omnibusque dicendi veneribus usus, quomodo supra vidimus, efficere studuit, partim eo, quod homines, quos induxit, in eam conditionem adduxit, ut vel summam cupiditatum vim exhiberent vel imaginem miserrimæ vitæ ob oculos ponerent.

---

[1]) Cfr. Nægelsbachii nachhom. Theologie p. 438 sqq. Ersch. et Gruber. Allgemeine Encyklopädie d. Wissenschaft u. Kunst. Th. 81 p. 370.

[2]) Ut in Elect. vv. 525—546 (ed. Witzschel.) agnitionem Orestis, quam in Choëphoris ab Electra fieri finxit Aeschylus, acerba irrisione exagitat, ut in Phoeniss. vv. 748—52 et in Supplic. vv. 846—56 haud tecte perstringit copiosam Aeschyli descriptionem heroum, quales essent, qui inter se in Sept. c. Th. vv. 375—652 congressuri fingebantur.

[3]) Cfr. Firnhaberi diss. üb. d. Prolog d. gr. Tragödie in Jahrbücher, 17 Suppl. band, 1851.

[4]) Audiamus Hæbleri de hac re sententiam in diss. üb. die tragische Stoffe des Aeschylos u. Euripides p. 21 prolatam: Geqvält von der Besorgniss des Epigonen, dass im Grossen Alles schon dagewesen sei, und wohl auch, weil er die Einheit, die ihm innerlich gebrach, in seinen Werken nicht zu erreichen wusste, strebt er wenig nach Gesammtwirkung weder einer Handlung noch einer Persönlichkeit, sondern er verwendet alle Kraft an wirksame Gestaltung des Einzelnen; und wo er solche nicht erreichbar glaubt, da erlaubt er sich grösste Nachlässigkeit in Weglassung des nur irgend Entbehrlichen und flüchtigster Andeutung des schlechterdings Unentbehrlichen. Die Wirkung durch Einzelnheiten erstrebt er tausend Mal gegen jedes poetische Recht, indem er seinen Personen Reflexionen in den Mund legt, die sie zu machen kaum irgend eine Veranlassung haben. Cfr. Zelleri l. l. p. 14.

Qua in re est intelligendum et agentium cupiditates e puro perraro fonte fluxisse, sed a libidinum intemperantia profectas esse[1]), quod neque de Sophocleis nec de Aeschyleis personis dici potest, et miseriam, in qua versabantur, non tam animi, quam corporis fuisse. Quam miseriam quo magis augeret, solebat heroes suos corporis infirmitate confectos et pannosa squalidaque veste insignes inducere, ut mentes spectantium aspectu solo illorum ad misericordiam revocarentur[2]). Effrenatisque atque immanibus animi perturbationibus et cupiditatibus omnis generis depingendis earumque quasi præstigiis et captionibus proponendis, qua in re præter ceteros omnium consensu facile eminuit[3]), tantum sæpe tribuit, ut in ratione instituenda, ad quam quum universa fabula tum singula quæque dirigerentur, parum curæ adhiberet. Quo factum est, ut, quibus partibus par erat fabulam quasi membris corporis cujusdam contineri, eæ in nonnullis Euripidis fabulis maximeque in novissimis ita alia ab alia sejungerentur, ut, contra atque in opere artificioso fieri oportebat, non magnopere inter se pertinerent. Prologi sæpe ita instituti sunt, ut in iis personæ, quarum non multum, quomodo res agerentur, interfuit quæque munere prologorum functæ in conspectum non jam venerunt[4]), in scenam progressæ exordium fabulæ non tam agendo, quam narrando facerent. Tamquam præcones in scenam illæ præmissæ sunt, ut, antequam actio ipsa suscepta est, spectatoribus, quid futurum esset, nuntiarent. Neque vero copiosiores nonnumquam, quam ad rerum agendarum intelligentiam opus erat, non fuerunt in alienissimisque rebus exponendis haud raro versatæ sunt. Nam non modo, qui homines quo tempore, quo loco, qua ratione rem ge-

---

[1]) Hoc vidit Dionysius Halicarn. qui in libro de vett. script. censura de Euripide ita existimat: *καὶ οὐχὶ τὰ γενικὰ καὶ μεγαλοφυῆ τῶν προσώπων ἤθη καὶ πάθη, καθάπερ Σοφοκλῆς, κατώρθωσεν· εἰ δέ τι ἄσμενον καὶ ἄνανδρον καὶ ταπεινὸν, σφόδρα ἰδεῖν ἔστιν αὐτὸν ἠκριβωκότα.* Cfr. Th. Rötscheri Aristophanes und sein Zeitalter p. 233, ubi hæc scripta sunt: es war nicht der auf der sittlichen Idee ruhende Pathos des Subjects, welcher, um seines geistigen Inhalts willen, die Herzen und Gemüther aller Zuhörer ergriff, und worin sich der Anschauende mit Recht erhoben fühlte, sondern die zufälligen und mehr abstrakten Leidenschaften des Subjects hatten den Platz eingenommen. Pflugkius in Præf. ad Med. p. 37 ita disputat: Euripides res divinas humanasque a consilio et fortitudine et a quadam necessitate ad cupiditatem libidinemque transtulit; quæ res quam vim haberet ad illa mentis incendia affectuumque perturbationem, in qua hujus tragoedia excellit, supra diximus.

[2]) Hanc ob rem sæpissime Euripides ab Aristophane irridetur, ut Ran. vv. 842, 846, 1063—4; Acharn. v. 410 sqq. Pac. 146—8; Nub. 921; Thesmoph. v. 24.

[3]) Qua de re Quintilianus ita judicat: in affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis, qui miseratione constaret, facile præcipuus.

[4]) Ut Mercurius in Ione, Apollo in Alcestide, Venus in Hippolyto.

sturi essent, copiose exposuerunt, sed sæpe etiam originem totius suæ familiæ inde a diis repetitam persecutæ sunt[1]) et, si deorum partes sustinuerunt, quem exitum res esset habitura, prædixerunt[2]). Quæ quum ita sint, facile apparet Euripidem voluisse, prologos cum ceteris tragoediæ partibus non tam arto quodam temperationis vinculo conjunctos, quam iis præfationum instar adjunctos esse. Qua in re tamen est tenendum de posteriorum, quæ feruntur, tragoediarum prologis hoc magis, quam de priorum dici posse, quorum ratio propius ad similitudinem Sophocleorum accedit. Neque alia erat ratio partium, quas chorus sustinuit. Huic enim, quem Sophocles et Aeschylus actionis participem esse voluerunt, non tam actoris, quam spectatoris partes detulit, quodque necessitudinis vinculum agentibus cum choro apud illos semper intercessit, id nonnumquam apud Euripidem nullum fuit[3]). Forte fortuna magis, quam consilio agentes convenit et carmina, quæ cecinit, paululum aut nihil ad argumentum fabulæ pertinuerunt. Exitus autem fabulæ, quem apud Sophoclem et Aeschylum ex ipsa rerum conditione necessaria quadam continuatione evenire videmus, apud Euripidem sæpenumero a deo exstrinsecus allato[4]) vel miraculo quodam[5]) effectus est. Unde perspicuum est, quam vere Aristoteles dixerit[6]), Euripidem, tametsi in eo recte ageret, quod infelicem exitum habentes fingeret eorum res, qui primas tragoediæ partes tuerentur, in cetera tamen compositione male egisse concedendum esse.

At hæc tam multa de Euripide deque eorum, in quæ ætas ejus incidit, temporum ratione quorsum spectant? Nihil aliud nisi ut unum sub aspectum quasi subjiciantur universa, quibus Euripidis ratio a superioribus tragoediæ principibus differat et hæc differentia, unde sit repetenda, omnibus appareat, quo facilius singula quæque, quæ ad Electram Euripideam pertineant, de qua nunc est disputandum, et intelligi et explicari possint. Ac primum videmus Euripidem, ut antea Sopho-

---

[1]) Ut Iphigenia in Iphigenia Taurica, Iocaste in Phoenissis, Electra in Oreste, Amphitryo in Hercule furiente, Helena in cognomini fabula.

[2]) Ut Mercurius in Ione.

[3]) Ut in choris Phoenissarum et Iphigeniæ in Aulide videri licet.

[4]) Ut a Dioscuris et Electræ et Helenæ exitus, a Diana Hippolyti, a Minerva Ionis, a Minerva Iphigeniæ Tauricæ, ab Apolline Orestis, a Baccho Baccharum, a Minerva Supplicum, a Thetide Andromachæ.

[5]) Ut exitus Medeæ, de quo quid disseruerit Welckerus, vide die Gr. Tragödien p. 633—4.

[6]) Verba Aristotelis (de Art. poet. c. 13) hæc sunt: *οἱ Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντες αὐτοὶ ἁμαρτάνουσιν, ὅτι τοῦτο δρᾷ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, καὶ πολλαὶ αὐτοῦ εἰς δυστυχίαν τελευτῶσι. Τοῦτο γάρ ἐστιν, ὥσπερ εἴρηται, ὀρθόν. Καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτασός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται,*

clem, primariam personam Electræ imposuisse. Sed ut miseriæ illius, qua oppressam quum Aeschylus tum Sophocles eam finxerat, magnitudinem augeret et quasi cumulum afferret, e domo patria eam fecit expulsam et agricolæ cuidam Mycenensi, nobili illi quidem, sed perpauperi, in matrimonium datam. Quas nuptias Aegisthum, quum per Clytæmnestram, quominus eam occideret, impediretur, conciliasse voluit, ne quis auctoritate atque opibus florens vir ex ea liberos susciperet necis avitæ ultores. Orestes autem neque a matre ut apud Aeschylum ad Strophium Phocensem missus nec a sorore sua e manibus parricidarum ereptus ut apud Sophoclem, sed a patris pædagogo sene surreptus Aegistho eum interfecturo fingitur. Qui senex puerulum et ipse quidem, ut pædagogus Sophocleus, in Phocidem ad Strophium deducit, sed, quum ille eum Electræ rogatu patris ultorem ibi educaret, hic domum revertitur, unde expulsus apud flumen Tanum in confinio Argolidis Laconicæque vitam pastoralem degit. Quodque commercium Electræ Sophocleæ cum fratre erat, id Euripides sublatum voluit. Nihil Electra, quomodo cum Oreste ageretur, cognitum habuit, nihil nisi per rumores de Electra Orestes. Dubia igitur, utrum frater mortuus esset an vitam misere ageret, Electra Euripidea vilem casam in agello habitavit ab urbe remoto, qui cultus a marito satis fructus tulit ad vitam utriusque tolerabiliter sustentandam. Quo loco constituta perexiguam habuit spem salutis in fratre positam, quodque ei unum aliquid solatii attulit, conditionis suæ ipsius humilitatem fratrisque extorris fortunam atque inultam patris mortem cum diis quotidie vehementer questa est et lugubri lamentatione fletuque comploravit. Ac negotia parum regalia haud invita suscepit quum vitæ necessitate coacta, tum ut diis ostenderet, quam impie scelerateque fecissent parricidæ. Non modo vestimenta sibi ipsa conficiebat, quod nisi fecisset, fuisset nuda, sed aquam etiam e flumine ferebat, ut conjugis labores levaret. Hæc mala a parricidis illata quamvis indigne pateretur, nihil tamen ipsa cogitavit, poenas ab illis neque ab Aegistho nec a matre repetere conari, sed in querelis fortunæ suæ suorumque perpetuis acquievit. Ex quibus jam rebus apparet Euripidem tantum, quantum Sophoclem, animi præsentiæ atque fortitudinis Electræ tribuere noluisse. Odium autem magis inveteratum et dolum multo majorem videbimus eum, quam Sophoclem, ei addidisse. Verum illa mox: nunc de prologo, quid dicendum esse videatur, disputemus.

Initium igitur prologi facit Mycenensis ille nobilis, qui jussu Aegisthi Electram in matrimonio habuit. Primo ille mane ante casam suam rusticanam procedit et secum ipse loquens commemorat Agamemnonis res quum secundas tum adversas domusque ejus quo loco esset.

Regnum ait et reginam esse Aegisthi, Orestem filium extorrem propositamque ab Aegistho necis ejus mercedem, Electram filiam, cujus mortem ab Aegistho paratam mater impedisset, nuptum sibi datam, homini pauperi et ejusmodi nuptiis indignissimo. A quo tamen eam necdum attrectatam esse neque umquam attrectatum iri, quippe quum probior esset, quam ut virginitatem filiæ violaret clarissimi regis. Hæc agricolæ oratio, si diligentius considerata erit, negari vix poterit, quin ita sit comparata, ut, cujus in magnam vitii vituperationem prologi Euripidei sæpe sunt universi minus recte adducti, eo hujus tamen tragoediæ prologus nonnihil laborare haud injuria dici possit.

Constat jam Aristophanem[1]) in prologis Euripideis reprehendisse, quod eadem semper recurrenti ratione omnes essent compositi. Cujus rationis æquabilitatem et eandem semper similitudinem non modo in numeris, sed etiam in verbis sententiisque conspicuam tantam fuisse adeoque nulla arte cum cetera tragoedia cohæsisse, quæ prologis continerentur, ut in locum eorum exituum, quibus versus illorum conclusi essent, alius quivis sæpenumero æque apte substitui posset, compluribus exemplis ostendit. Quibus exemplis egregiaque illa formula: *ληκύθιον ἀπώλεσεν*, quam parti priori complurium versuum e prologis Euripideis sumptorum adjunxit, illud quoque in Euripide notatum voluit, quod nimia verborum non modo copia, verum etiam pompa abundaret, qua frustra gravitatem quandam affectaret atque magnificentiam. Et quamquam quidem ex iis tragoediis, quæ non optime erant compositæ, exempla illa consilio convenienter ab Aristophane sumpta esse existimamus in iisque quæ vitia vere notavit quamquam facile concedimus minime in omnes convenire, magnopere tamen veremur, ne animi ingeniique vires ii perdant, qui ut omnia ab Aristophane Euripidi illata crimina corruptæ artis, ita hoc propulsare atque dissolvere student. Quæ fuerit causa, quamobrem a ratione Aeschyli et Sophoclis discederet Euripides, non dubitamus, quin satis probabiliter indagari et expediri possit, sed hoc longe aliud esse atque comprobare, nihil eum in arte tragica peccavisse, quis est quin intelligat? Hermannus, doctissimus vir, Euripidem dicit[2]) necessitate quadam coactum esse, ut tragoediis

---

[1]) Ran. 1200—1248.

[2]) In præfat. primæ edit. Sophoclis Electræ Hermannus hoc scriptum reliquit: Hinc illa necessitas prologos scribendi: quibus antiquior tragoedia facile carebat, quum quid visuri essent spectatores, notum iis esset; recentior autem carere non potuit, quia exhaustis tractandi cujusque argumenti modis, nova quædam et a communi traditione recedentia comminiscenda erant, quæ nisi ante indicata spectatoribus fuissent, non modo deceptam exspectationem suam vidissent, sed sæpe ne intelligere quidem, quid sibi vellent actores, potuissent.

suis prologos præponeret, propterea quod, quæ spectatoribus ante oculos proponeret, a vulgatis et ore hominum propagatis longe recederent narrationibus; quod quoniam priorum tragoediæ non accidisset, prologis facile carere potuisse. Eandemque fere sententiam Schlegelius[1]) habuit de causa, qua ductus Euripides prologos suos scriberet. Neque vero Valdestadius[2]) aliique[3]) opinioni illi non videntur assensi esse. Quid igitur? Aeschyli et Sophoclis tragoediis prologos defuisse putabimus? Minime. Nisi forte Aristotelis aliorumque veterum scriptorum auctoritatem repudiabimus, qui ita definiunt, ut prologus sit integra tragoediæ pars, quæ est ante chori parodum, qua argumentum exponitur[4]). Dicet aliquis: quid? tu putas Persarum etiam et Supplicum fabulas Aeschyleas ejusmodi prologis instructas esse? Fateor eas ita exceptionem quodammodo facere, ut in iis Aeschylus choro parodum canenti expositionem etiam rerum faciendam imposuerit. Quod, quo plus Aeschylum, quam ceteros tragicos, choro tribuisse constat, eo minus est mirandum. Atque ut ad Euripidem redeam, is num narrationes memoria proditas tam valde in omnibus suis tragoediis commutavit, ut ad rerum agendarum intelligentiam magis ei, quam prioribus tragicis, necessarii essent prologi? Hoc de omnibus confirmare difficile videtur. Jam vero si id Euripidem commovit, ut novum prologorum genus inveniret, quod magis, quam priores, domesticas mutavit narrationes, oportebat eum, quo plus commutaret, eo certius genere illo uti apparere. Quod tamen non ita est. Quod vero dixerunt nonnulli[5]), Euripidem ideo,

---

[1]) In Vorlesungen üb. dram. Kunst u. Litt. I. p. 142 Schlegelius ita disputat: Da Euripides oft alles bisher Bekannte und Gewohnte umstiess, so wurden ihm dadurch die Prologe nothwendig, worin er die Lage der Sache nach seiner Annahme meldet und den Verlauf ankündigt.

[2]) Eichstadius in libr. de Dramate Græc. comico-satyrico p. 82 ita scribit: reperiuntur tragoediæ, in quibus dempto prologo expositio dramatica argumenti ne satis quidem dilucide et apte ad communem intelligentiam explicari possit.

[3]) C. Rosenbergius in Elektra, eine Tragödie des Sophokles p. 99 ita disserit: um den Zuchauer, der nur mit der herkömmlichen Tradition der Mythen bekannt war, auf einen andern Standpunkt zu stellen und ihm das Verständniss von vorn herein erleichtern, wurde er veranlasst, den Prolog einzuführen, welcher der nöthigen historischen Notizen in einer Einleitung vorträgt.

[4]) ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ τοῦ χοροῦ παρόδου Aristotelis in art. poet. c. 12 est definitio, cui similis est Tzetzis: πρόλογος μέν ἐστι τὸ μέχρι χοροῦ τῆς εἰσόδου Euripides autem Aristophanem, obscuritatem in prologo Aeschyleo reprehendens, dixit: ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων, unde apparet Aristophanem voluisse τὴν φράσιν τῶν πραγμάτων esse prologum. Cfr. ann. 2 p. 15.

[5]) Ut Lessingius in Hamburger-Dramaturgie (Lessings Werke V. VII. p. 204 sqq. ed. Lachmann.) et Bodeus in Geschichte d. dr. Dichtkunst. V. I. p. 464.

quod minime spectantes dubia quadam exspectatione suspensos tenere vellet neque rebus necopinatis exhibendis capere et commovere, in prologis planius uberiusque res futuras exposuisse, quo liberius deinde in diversissimis personarum agentium perturbationibus atque cupiditatibus profectisque inde perniciosissimis facinoribus ante oculos proponendis, qua in re plurimum poneret, omnem curam omnemque ingenii vim adhiberet, hoc profecto a rei veritate mihi videtur abhorrere, quippe quum tragoediis suis eum videmus non modo suspensos, quonam modo res eventuræ essent, auditores tenuisse, sed etiam rebus quam maxime inopinatis eos capere studuisse. E studio perspicuitatis videntur aliis prologi Euripidei repetendi esse[1]). Quasi vero obscuritate laborassent tragoediæ, si prologos habuissent Sophoclea arte elaboratos. A qua ratione quamobrem potissimum Euripides discederet, supra jam exposuimus. Quemadmodum omnino minus studuit aptæ omnium partium temperationi ornatæque illi concinnitati, qua priorum tragoediæ conspicuæ erant, quam ut singulis locis auditorum animos devinciret, sic in prologis componendis liberius egit et spectantibus magis, quam arti prospexit. Voluit enim tragoediis suis non modo principes in civitate et ingenuis artibus perpolitos, sed etiam imperitam multitudinem delectare et prodesse, qua refertum erat theatrum post Periclis illud institutum[2]), quo aditus ad spectacula publico sumptu pararetur. Hujus ipsius multitudinis gratiam quoniam conciliare cupivit, sicut prooemiis orationum solebant oratores, primo statim in initio tragoediæ hominem quendam vel deum in scenam induxit, qui copiosa nonnumquam oratione summam rerum et præteritarum et præsentium et futurarum consessui theatri non tam scenice, quam oratorie exponeret; quo demum facto ad ipsam fabulæ actionem proponendam aggressus est. Quod genus prologi non potuit non gratum acceptumque esse iis, qui exiguam habuerunt cognitionem historiarum Græcorum fabularium neque satis exculto fuerunt ingenio, ut sine negotio eas artificiosiore expositione assequerentur, quippe quum multo facilius esset ad intelligendum multoque ad captum vulgi imperitorum accommodatius, si quis persona quadam indutus, ut Bacchi, in scenam progressus diserte dicere fingeretur: ego sum Bacchus, filius Semeles; Pentheus, Cadmi filius, est adversarius meus; hæc acciderunt; illa agam, quam si eadem ipsa a colloquentibus quibusdam non tam narrando, quam agendo artificio quodam significarentur[3]).

[1]) Ut Wyttenbachio et Hartungo, quorum sententias videas in Bibl. Crit. IV. p. 12 et in Euripide restituto V. II. p. 151.

[2]) Qua de re vide Grysari diss. de Gr. Tragoedia, qual. fuit circ. Demosth. tempora p. 20 sqq. et Boeckhii Staatshaushaltung d. Athener V. I. p. 306 sqq. ed. sec..

[3]) Hanc, quam putabat, prologorum virtutem laudans Euripides apud Aristo-

Euripidem tamen ita gravem artis scenicæ legem neglexisse patet, quæ vetat poetam se ipsum ostendere et in persona quadam inducta nihil nisi sensa suæ ipsius mentis atque consilia proponere. Nam personarum illarum, quæ tragoedias Euripideas secum ipsi plerumque loquentes ordiuntur, non paucæ videntur nec satis idonea causa commotæ procedere et poetæ magis, quam suo nomine orationem habere, quippe qua nihil fere aliud spectare videantur, nisi ut auditores de statu causæ doceant.

Hæc ipsa de agricola illo, cujus ab oratione Electram fabulam incipere videmus, dici posse haud scio an nemini negandum esse videatur. An quisquam putabit verisimile esse sua sponte, ut ita dicam, eum antelucano tempore egressum ante ædiculam suam quasi coelo ventisque verba fecisse de Agamemnonis rerum in bello Troico gestarum gloria domumque reducis interitu, de Aegistho, Thyestis filio, priscum Tantali imperium obtinente, de Oreste, Agamemnonis filio, quemadmodum ad Strophium Phocensem servatus esset, de Electra filia, quomodo, quamquam ætate florens a principibus Græciæ in matrimonium petita esset, sibi tamen, qui homo esset omnium opum expers omnisque auctoritatis, jussu Aegisthi esset matrimonio juncta, ne liberi ex ea suscepti ad ulciscendum quicquam valerent, de se autem ipso, quanta cum temperantia a virginitate Electræ violanda se abstinuisset? Ac si ægritudine commotus studioque erga Electram captus de his rebus commemorasset, num dubitabimus, quin longe aliter orationem suam constituturus fuerit? An querentis est ita loqui, si quando curas ac sensus suos alicui sive deo sive homini aperiat? Mihi quidem videtur hæc oratio frigidior esse, quam ut possit ex ipsis agricolæ visceribus venisque profecta videri, ac non e poetæ consilio eos de rerum statu certiores faciundi, quos, qualis is esset, e sequenti magis artificiosa expositione non satis facile atque commode comprehendere putaret. Neque enim prologus terminatur in hac, quam secum ipse habuit, oratione, sed, Electra ubi et ipsa ex ædicula egressa est, colloquio primum inter eam et agricolam facto, sermone deinde Orestis cum Pylade, qui, postquam ad suum uterque opus discesserunt priores, a peregre aditu in scenam processerant, lamentatione denique Electræ a flumine redeuntis continuatur. Qua ex posteriore prologi parte nihil, quod ad rei agendæ intelligentiam opus est scitu, intelligi non potest. Quod si ita est, apparet exordium illud ab agricola factum non tam necessarium esse, quam ab operis artificiosi unaquaque parte est desiderandum.

---

phanem in Ran. vv. 945—7 dicit: *εἶτ᾽ οὐκ ἐλήρουν ὅ, τε τύχοιμ᾽ οὐδ᾽ ἐμπεσὼν ἔφυρον, ἀλλ᾽ οὑξιὼν πρώτιστα μέν μοι τὸ γένος εἶπ᾽ ἂν εὐθὺς τοῦ δράματος.*

Contra posterior illa pars egregie et Sophoclea quodammodo arte est composita[1]). Aegritudinem suam ut levaret ac dolorem, quo acerbissimo de patris morte, de fratris exsilio de suaque ipsius miseria semper angebatur, ut luci matutinæ diisque ultoribus aperiret, primo mane Electra sicut Sophoclea, ita Euripidea domo egreditur. Verum Euripides, qui ad intelligentiam magis, quam ad imaginationem omnia revocata vellet, quum ei a verisimilitudine abhorrere videretur, Electræ per parricidas licuisse ante ipsam regiam non modo gemitu ac plangore sortem suam suorumque deplorare et inimicis pessima quæque precari, sed etiam chori mulieres recipere cum iisque consilia sua communicare, quemadmodum Sophocles rem finxisset, prætereaque ut conditionem suæ Electræ etiam pejorem ante oculos poneret, in solitudine ruris illam collocavit, ubi lamentis se atque querelis posset quum secum ipsa tum choro amicarum stipata libere dedere. Atque etiam ad rem agendam multo aptior ei videbatur ejusmodi solitudo, quam locus ille ante regiam in ipsa urbis celebritate situs, propterea quod Orestes facilius Electram convenire cum eaque consilia ulciscendi inire atque inita sine arbitris conficere posset. Neque profecto hoc Euripidis inventum, quod locum agendi ab urbe remotum voluerit, est reprehendendum. Quod vero cumulum miseriæ eo voluit conditioni Electræ additum, quod aratori eam pauperi collocatam ac sordido mulieris rusticæ habitu indutam fingeret, vereor, ne in eam vituperationem incucurrerit, qua eum Aristophanes graviter reprehendit, quod tragoediam a pristina majestate ac gravitate avocatam ad vitæ communis humilitatem detruderet, quum heroes, reges, principes in scenam induceret laceris vestibus indutos, sordibus squalentes, omni denique miseriæ genere oppressos, quo vehementius ad misericordiam spectantes permoverentur[2]). Negari quidem non potest, quin triste sit et graviter ferendum, ex illustrissimo derepente humillimum fieri, summis de fortunis dejectum ad magnam rerum inopiam adduci, audemus tamen dicere, ejusmodi malorum genus tolerari posse idque ab optimo quoque facillime. Neque putamus Electram tam ideo miserabilem fuisse, quod e domo regia in ignobilem rustici familiam detrusa esset, quam quia vidisset necem patri nefarie illatam esse neque posset hujus facinoris ulciscendi officium explere. Cui malo Sophocles optimo jure tribuit plurimum, quum Electram suam in domo patria remanentem fingeret, ubi summo suo dolore sceleratorum importunitatem atque superbiam quotidie videret. An pejore loco eum esse

[1]) Hunc prologum Euripideum non solum esse, cujus ratio sic est comparata, facile sibi persuadebit, si quis legere volet Phoenissas, Orestem, Iphigeniam Taur. Helenam, Herculem furent. Ionem, alias.

[2]) Cfr. Aristoph. Ran. vv. 948—67, 1063—4; Acharn. vv. 410—480.

non putabimus, qui aspectum inimicissimorum, scelera sceleribus etiam semper augentium, coram perferre iisque etiam ipse servire cogatur, quam qui a scelerum sede remotus nihil nisi memoria teneat, quæ quando vel viderit ipse vel fando audierit? Quid? Electra Sophoclea nonne dixit[1]) se velle a domo quam longissime abesse? At impari juncta erat Electra Euripidea. Audio, sed hanc ob causam num vere miserabilis videbitur? Hæc num calamitas putabitur intolerabilis, si virgo regia cum homine pauperi illo quidem, sed summa animi ingenuitate ornato juncta sit? De hac re nihil pro certo affirmare volo. Verum esto. Fuerint miserabiles Electræ nuptiæ; quid inde ei juris erat repetendum morte matrem afficiendi? Mater nonne pietatem in eam præstiterat, quum ex cæde Aegisthi eam eripuisset? Præterea Aegisthi opera, non matris factum erat, ut nuptum agricolæ data esset. Quod vero Euripides excogitaverat, maritum illum Electræ pudore commotum ac metu Orestis numquam cum ea concubuisse, illud inventum ipse suspicatus esse videtur fore, ut mirum ac parum verisimile audientibus videretur, quum adderet, hæc res cuicumque inepta videretur, pravis eum moribus esse instructum. Et vero Orientalium magis, quam Græcorum mores redolere id videtur. Neque profecto facile est ad intelligendum, quid tandem minus liberi agricolæ, si qui ex Electra suscepti essent, Agamemnonis mortem vindicare posse existimarentur, quam exsul Orestes. At cum exercitu domum redire hic potuit. Quis putavit? Neminem video. Ac Pylade solo comite Orestes ut Aeschyleus et Sophocleus, ita Euripideus domum ad patrem ulciscendum revertisse fingitur. Ex iisque verbis, quibus amicissimum suum in scenam progressus appellat, apparet et ipsum Apollinis auctoritate adfuisse, ut a parricidis cædis paternæ poenas repeteret. Quum vero et Aeschylus et Sophocles tantum in poenarum et sceleris æqualitate posuissent, ut Apollinem facerent Oresti præcipientem, eodem modo ut mortem inferret parricidis, quo cædem patris illi fecissent, Euripides hoc inventum prorsus reliquit. Qua ipsa re significasse mihi videtur, ineptum fuisse atque iniquum illud oraculum, quo filius matrem nece afficere juberetur nihilque excusationis hujusmodi vindictam habere, utrum æqualitatis illius speciem præ se ferret necne. Quod quamquam nos quidem ei sine ulla dubitatione assentiri possumus et documento id sine dubio est plus eum vidisse, quam majores, quorum opiniones correctas vellet, minus tamen ingenio eorum temporum, in quæ ætas incidit Orestis, quam Euripidis æqualium moribus id convenire quis est quin intelligat? Declarat etiam, quam nihil fidei Euripides sanctitati Apollinis habuerit.

[1]) v. 391.

Verum de hoc alias; nunc quomodo cetera Aeschyli et Sophoclis inventa in prologo Euripides adhibuerit, videamus.

Orestes igitur in patriam redux ut apud Aeschylum et Sophoclem, ita apud Euripidem ad sepulcrum patris primum se conferens sacra facit. Aeschylus autem quum in his sacris plurimum posuisset vehementissimeque ea ad rem agendam pertinere voluisset, quippe quibus auxilium patris deorumque inferorum sibi Orestes impetraret, itemque Sophocles tantum iis tribuisset, ut Apollinis oraculo jussa vellet, alia nulla de causa videtur Euripides Orestem in sepulcro patris eadem illa sacrificia offerre voluisse, nisi ut occasio sibi daretur in Choëphoris Aeschyleis rationem eam reprehendendi, qua Electra fratrem agnoscere fingeretur. Quæ reprehensio qualis sit, mox videro. Sepulcrum Agamemnonis in scena ipsa Aeschylus constituit, ut spectantibus significaret in illo rem totam gerendam quasi verti; apud Sophoclem autem et Euripidem conspicuum non est, sed ab urbe id non ita procul abfuisse e sermonibus agentium apparet. Orestes, quem non modo Aeschylus, sed etiam Sophocles, tumulo patris relicto, urbem patriam intrantem facit et ad regiam, Aegistho absente, accedentem, apud Euripidem, cui parum probabile videbatur, domum parricidarum a satellitibus non magis custoditam fuisse, quam ut peregrini non dicam intromitterentur, sed cædem dominorum facerent nullis impedientibus, a sepulcro patrio non ad urbem, quæ munitissima fingebatur, sed ad finem Argolidis se confert, ubi sororem, quam audierit ibi habitare, se conventurum speret. Quæ eum spes non fefellit. Vix sermonem cum Pylade ad finem adduxerat, quum mulierem quandam, quam primo aspectu famulam esse arbitratur, conspicit. Quo facto Orestes, ut apud Aeschylum ubi sororem cum choro conspexit, cum Pylade nonnihil sesessit et e verbis advenientis, quis illa esset, ut illic, ita hic cognovit. A flumine enim rediens vehementer Electra de immani sua miseria conquesta tristissimam occisi patris sortem et miserrimam extorris fratris conditionem deplorat. Ac vase aquario deposito lugubre de mortuo patre carmen canit cum gemitu ac plangore. Quas querelas habens quum et se ipsam et patrem et omnis suæ suorumque miseriæ auctores nominatim appellaret, non erat difficile intellectu, quis illa esset. In quo animadverti potest consuetudo Euripidis, qua solet in prologis personas inducere nominatim, quæ sint, dicentes[1]), ut hoc loco Electra dicit: sum Agamemno-

---

[1]) Cfr. Iphig. Taur., Bacch., Hippol., Hec., Hel., Phoeniss., Orest., Troad., Ion., Herc. fur. De hac Euripidis consuetudine ita disserit Schlegelius in Vorles. üb. dr. Kunst u. Litt. I. p. 142: Man möchte diese Weise mit den Zetteln aus dem Munde der Figuren auf alten Gemälden vergleichen, welche sich nur bei grosser alterthümlicher

nis et Clytæmnestræ filia; appellor Electra. Quo modo loqui narrantis esse, non agentis apparet nimisque ita Euripidem consilium suum aperuisse prologis auditores docendi, quinam sint agentes: cujus rei supra facta est mentio. Nihil tale invenitur neque apud Aeschylum nec apud Sophoclem, quorum prologi quum plerumque ita agantur, ut personæ progressæ de rerum statu, alia aliam nomine appellantes, colloquantur, audientibus, quænam sint agentes, haud obscure aperiunt.

Atque ut ad Electram revertamur, videmus lamentationem, quam in extremo prologo ut Electra Sophoclea, ita illa instituisset, parodo chori interruptam, in ea tamen ut illic, ita hic, choro obloquente et consolante, repetitam. Uterque chorus e virginibus constat, quæ amicissimo in Electram animo præditæ adsunt, ut e dolore eam ac sollicitudine ad spem et animi æquitatem deducant. Utraque parodus a choro et Electra alternis cantatur. Multo tamen longior Sophoclea multoque pietatis atque amoris plenior. Et chorus et Electra apud Sophoclem vehementer de sorte Agamemnonis conqueruntur, apud Euripidem autem chorus in parodo necem Agamemnonis nihil ne commemorat quidem, non modo commiseratur et de sua pluribus verbis, quam de patris miseria Electra conqueritur. Aptissime Euripides virgines chori eo consilio ad Electram accedentes facit, ut de sollemnibus Junonis Argivæ celebrandis certiorem eam facerent ad partemque vocarent, quippe in quibus virgines solerent orbes saltatorios ducere. Quibus sollemnibus, quorum auctoritas atque amplitudo apud Argivos non minor erat, quam Panathenaicorum apud Athenienses, quum spectatores viderent Electram, non modo dolore, sed etiam egestate impeditam, interesse non posse, consentaneum erat miserrimam eam illis et maxime miserabilem videri. Quamobrem non dubitamus, quin minorem vim in animis Atheniensium commovendis non habuerit hæc parodus, quam quantam in Lacedæmoniis capiendis eam in symposio quodam aliquando pronuntiatam habuisse auctor est Plutarchus: quem locum Plutarchi supra commemoravimus.

Parodo terminata Orestes cum Pylade e recessu prodit, verumtamen sorori, quis sit, non statim aperit, quod fecerat Orestes Aeschyleus, sed nuntium a fratre simulans cum ea confert sermonem, qui similitudinem quandam habet illius sermonis, quem Orestes Sophocleus cum Electra habuit, priusquam se illi agnoscendum dedit. Ut ille, ita hic de conditione sororis diligentius sciscitatur et quem in eam animum

---

Einfalt des Stiels allenfalls entschuldigen lassen. Allein dann müsste auch das Uebrige damit übereinstimmen, was bei'm Euripides gar nicht der Fall ist, wo die Personen im neuesten Tone damaliger Sitte reden.

chorus virginum gerat. Præterea causam, cur in ruris solitudine vivat, requirit et maritus quemadmodum in eam affectus sit, quomodo in eam mater se gesserit, quam denique opem fratri, si redierit, ipsa sit præstatura, cognoscit. Qui omnis sermo, quamquam ad propositum ineptus non est, copiosior mihi videtur et cum Sophocleo illo comparatus quodammodo frigere. Quo dolore ille atque animi ardore insignis est, iis virtutibus hic vereor ne nimis careat. Quod dicit Electra se mori velle, si mortem matri intulisset, id haud scio an parum eam deceat dixisse cum homine colloquentem, quem peregrinum esse arbitratur [1]). Equidem non ignoro, Orestem Aeschyleum idem fere professum esse, sed quo loco constitutum, qua animi concitatione affectum! In tumulo patris cum Electra sedens patrisque opem ad ulciscendum implorans illud sorori dixit, quum, qua crudeli nece patrem trucidasset mater quoque indigno funere eum extulisset, sub aspectum ejus illa pæne subjecisset, inauditam illam rem ante ignorantis et ad patris ultionem gravissimo Apollinis præcepto admoniti. Accedit quod multo crudeliorem se præstiterat Clytæmnestra Aeschylea et multo magis nomine atque amore matris indignam, quam Euripidea, quæ non tam ipsa scelerum auctor, quam lenociniis Aegisthi inducta videatur. Mirum jam mihi videtur, quod Orestes sororem interrogat, pater num in partem sepulcri venerit. Quid enim? In sepulcro patris se nocte vix præterita sacrificasse brevi ante diserte non dixerat? Neque profecto amori fraterno satis convenit, quod Orestes se non statim sorori aperit, ubi primum ex ea audivit, quomodo in eum affecti essent omnes, qui aderant. Sed non modo eam relinquens in ædiculam discessit, verum etiam rediens peregrinum simulavit. Ita quum rem Euripides institueret, videtur rei naturam minus secutus esse, quam consilium suum, quo egit, ut senem pædagogum in scenam induceret per eumque agnitionem faceret. Qui quoniam procul aberat, justa causa, quamobrem arcesseretur, erat invenienda. Agricola igitur ab aratione redux peregrinos, ubi nuntium eos ab Oreste pertulisse cognovit, domum benigne recipit et ad coenam hospitaliter invitat. Quæ ut hospitibus digna appararetur, Electra maritum mittit, qui pædagogum cum rebus necessariis venire juberet. Hoc invento etiam id Euripides effecit, ut occasio sibi non modo mores agricolæ diligentius describendi, verum etiam civibus suis præcepta sapientiæ tradendi, offerretur aptissima. Orestem enim, ubi aratorem conspexit et liberalitatem atque ingenuum ejus animum audivit, de nota probitatis, quam difficilis esset repertu [2]), philoso-

---

[1]) Cfr. Lessingii Hamburger-Dramaturgie l. l. p. 391 sqq.

[2]) Diogenes Laërtius (L. 2. 33) memoriæ tradidit, Socratem, quum v. 379 pronuntiatus esset, subito surrexisse et e theatro egressum esse, quod in eo versu O-

phantem fecit et præcipientem, ut ex ingenio homines atque moribus, non e loco, quo nati essent, existimarentur. Qua disputatione præclara illa quidem, sed animi motui, quo affectum esse Orestem oportebat, parum apta, videmus Euripidem voluisse non modo civibus suis, quod e nobilitate ac divitiis virtutem æstimarent, exprobrare, verum etiam homines rusticos et in modica re constitutos laudibus efferre; quo in genere laudationis haud raro in tragoediis suis versatur[1]). E sermone, quem Electra et agricola, postquam Orestes cum comitibus domum intravit, inter se contulerunt, apparet, quam non injuste Aristophanes Euripidem irriserit, quod in rebus domesticis ac minutissimis quum describendis tum examinandis personas tragicas versantes faceret[2]). An quisquam negabit hoc in sermone ejusmodi res agitari?

E primo chori stasimo intelligi licet, quam parvo nonnumquam[3]) vinculo Euripides carmina chorica cum ipsa fabulæ actione conjunxerit ad ejusque mutationes accommodaverit. In hoc enim carmen, si ab ultima parte discesseris, vereor, ne conveniat, quod Aristoteles in posterioribus tragicis Agathone auctore dicit usu venisse, ut embolia chorus illorum caneret, quæ non magis ad fabulæ actionem, quam ad aliam quamvis tragoediam pertinerent. Quid enim ad rem actam agendamve pertinet descriptio illa scuti Achillei, in qua maxima versatur pars carminis? Nihil opinor, aut certe perpaululum. Neque vero Aristophanem puto illud non vidisse, alienas hoc in stasimo res cantari, quum inde petitos duos versus cum aliis aliunde sumptis in Ranis[4]) conjungeret, ut carmen quoddam choricum Euripideorum simile componeret ad deridendum.

Pædagogus, cujus a progressu in scenam episodium secundum incipit, pergrandis est natu et tam ætate confectus, vix ut ad Electræ domum eniti queat. Quo ubi tandem evasit, sermonem cum Electra con-

---

restes dicere fingeretur, optimum esse a nota virtutis quærenda desistere. Verba autem versus sunt hæc: *κράτιστον εἰκῆ ταῦτ᾽ ἐᾶν ἀφειμένα*, quorum sententiam brevi post ipse Orestes improbat, quum dicit, ingenuitatem hominum e vita ac moribus eorum esse judicandam.

[1]) Cfr. Suppl. vv. 244—5, ubi Theseus, postquam disseruit, quid in divitiis incommodi inesse sibi videretur, quid in inopia, hæc addit: *τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ ᾽ν μέσῳ σώζει πόλεις, κόσμον φυλάσσουσ᾽ ὅντιν᾽ ἂν τάξῃ πόλις* et Orest. v. 920, ubi *αὐτουργοί* dicuntur esse *οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι γῆν*. Vide præterea fragm. Aeol. 2 et Plisth. 2.

[2]) Cfr. Aristoph. Ran. vv. 959—91 et Thesmoph. vv. 383—432. Qui alios etiam locos Euripideos, qui in hujusmodi rebus versantur, vult cognoscere, inspiciat Med. vv. 231—52, Hippol. 627—50, Androm. 930—53.

[3]) Vide carmina chori Phoenissarum, videbis illustrissima hujus rei exempla.

[4]) vv. 1317—18.

fert, qui quamquam quidem senili ejus ætati atque corporis infirmitati non est alienus, parum tamen animi illi alacritati ac prudentiæ respondet, quam, fabula progrediente, præstat tantam, ut ex eo totius rei successus pendere videatur[1]). Hujus autem sermonis rationem sic Euripides propterea comparavit, quia voluit Aeschylum in eo illudere, quod Electra ab eo in Choëphoris ex cincinno in tumulo patris invento exque vestigiis ibi impressis præsentiam fratris conjicere et e veste, qua erat indutus, eum agnoscere fingeretur. Satis non habuit aliam Electræ et Orestis cognitionem invenire et proponere, ut fecit Sophocles, sed Aeschyleam illam tamquam absurdam cupiit exhibitam. Unde intelligere possumus, non modo apud Aristophanem, sed re vera Euripidem existimasse rudem atque incomptam Aescyli artem auctoritatemque ejus elevatam voluisse[2]). Quid enim? Agnitio illa Aeschylea absurdane erat? Intelligentibus, quam leviter exculta ea tempora fuerint, in quæ ætas Electræ et Orestis incidit, quorumque imaginem Aeschylus expressit, et considerantibus, quomodo affecta tum Electra fuerit, quum cincinnum et vestigia conspiceret, non absurdam puto eam videri, sed simplicissimis personarum moribus rerumque conditioni accommodatam. Vestis enim, quam ostendit Orestes, nihil video, quod impediat, quominus aut in Phocidem ab Electra missa esse habeatur aut, sicut vult scholiastes, alia fuisse, quam qua indutus erat Orestes. Quod vero a moribus ac statu Electræ Aeschyleæ non abhorret, id tamen in hunc pædagogum minime convenit. Aliud enim in virginem cadit, aliud in senem; aliud in eum, cujus res agitur, aliud in alienum.

Jam vero videmus Euripidem non tantum, quantum quum Sophoclem tum Aeschylum, inferiis tributum voluisse, quæ manibus Agamemnonis allatæ sunt. Quo factum est, ut, quæ sacra Electra Aeschylea et Chrysothemis Sophoclea patri obtulerunt, non modo ut eum honorarent, verum etiam ut præsens ejus impetrarent auxilium, in quo maximam salutis spem posuerunt, ea pædagogo Euripides imposuit facienda, quibus alumnum suum mortuum honore afficeret. Aptissime autem Euripides rem ita instituit, ut cognitio Orestis per pædagogum fieret, quippe quod verisimillimum esset eum optime, quo habitu et aspectu esset Orestes, memoria tenere. Neque vero est reprehendendus, quod cicatrice affectum finxit Orestem, qua potissimum conspecta pædagogus quum sibi ipse tum Electræ persuaderet, recte se videre. Hujusmodi enim cognitionis locupletissimum auctorem habuit Homerum, qui Ulixen

---

[1]) Homines decrepiti et senectute confecti, sed summa calliditate instructi sæpissime ab Euripide in scenam inducuntur.

[2]) Sunt etiam alii loci, ubi apparet Aeschylum deridere, ut Phoeniss. vv. 748—52, Supplic. vv. 846—56. Cfr. ann. 2. p. 123.

a nutrice[1]) et a pastoribus[2]) cicatrice cognitum fecit. Negari tamen non potest, quin lenti et pæne frigidi videantur et Orestes et Electra. Pædagogi demum hortatu inter se amplexantur. Quod etiamsi in Electra minus est mirandum, quippe quæ de rei veritate dubia aliquamdiu sit, Oresti tamen, qui sororem non ignoret, parum convenit. Intimum illud gaudium, quo inter se redditi efferebantur Orestes et Electra et apud Aeschylum et apud Sophoclem, quodque tantopere rerum conditioni convenire videtur, hoc loco adeo desideramus, ut valde miremur, quamobrem Euripides, quem animi humani peritissimum et in motibus ejus describendis facile principem fuisse constat, Electram suam et Orestem, quum inter se agnoscerent, minori se lætitiæ dedere, quam pædagogum et chorum, voluerit. Hoc enim neutrius moribus congruere nobis videtur, considerantibus, quot quantaque dent mutui amoris signa quum alias tum in exitu fabulæ.

Et apud Aeschylum et apud Sophoclem fingitur Orestes oraculo Apollinis jussus parricidas dolo circumvenire, ut poenis afficerentur sceleri paribus. Apud Euripidem autem nihil de hac re Apollo præcipit. Consuluit igitur pædagogum Orestes, qua ratione res proposita optime peragenda videretur, ejusque auctoritate constituit, Aegisthum, quum ruri nymphis sacrificaret, opprimere. Electra autem jubet pædagogum matri, quam epulo audisset interfuturam, obviam ire eamque orare, ut filiam puerperam inviseret. Hinc apparet Euripidem voluisse non modo juri talionis minus, quam superiores, tributum, verum etiam alieno magis, quam suo judicio Orestem uti. Ratione ita ulciscendi inita Orestes et Electra diis ac manibus patris preces adhibent, ut opem sibi et victoriam præstarent. Quo facto Electra, fratrem ad fortiter agendum exhortata, prædicat se, res si secus ei cecidisset, vim vitæ suæ allaturam, ne in inimicorum manus victa deveniret, domumque ingrediens, ubi ad utrumque certaminis eventum se pararet, chorum jubet pugnantium clamorem sibi indicare.

Ad suum igitur quisque munus exsequendum postquam agentes discesserunt, stasimum secundum chorus instituit, in quo copiose exponit vetustam illam memoriam, qua proditum sit, aureum agnum, quod specimen, ut ait Seneca tragicus, erat antiquum imperii divinitus datum[3]), a Thyeste Atreo fratri, corrupta ejus uxore, surreptum esse et a Jove, hoc ingenti facinore gravius commoto, sidera coelestia in alium cursum esse deflexa: cui memoriæ tamen, quamvis ad pietatem erga deos uti-

---

[1]) Od. 19, 392. [2]) Od. 21, 219.

[3]) Stabilimen regni sui Atreus apud Attium agnum illum aureum appellat (Cic. Nat. D. 3. 27). Etiam Plato (Polit. 268—9) mentionem hujus memoriæ facit.

lem esse putet, nihil fere fidei se adjungere addit. Hanc expositionem rerum cum argumento fabulæ non valde cohærentium tempori parum accommodatam esse apparet. Commotiore esse animo chorum oportet, quam ut in rebus canendis versetur tam longe petitis. Neque vero suspicio ea, quam de fide fabulæ popularis profitetur, homini philosophanti magis, quam virginibus non convenit. Narratio enim illa ore hominum propagata, tametsi philosophi intelligentia probari non potest, egregie tamen indicat, quantopere persuasum populo fuerit, nefaria mortalium scelera quum abhorrere Jovem tum punire gravissime. Quam opinionem non habere, sed in dubium vocare hoc loco, ubi in discrimine res versatur, chorum minime decet. Perspicuum autem est Euripidem in chori persona ut alias sæpe, ita hic studuisse auditoribus rectam narrationum fabularium interpretationem tamquam philosophum tradere[1]).

Ad finem vix adducto hoc carmine chorus lamentantium voces procul exaudit et paulo post nuntius ab Oreste missus advolat, qui, quomodo Orestes Aegisthum sacra nymphis facientem trucidaverit, copiosa ac splendida oratione, describit. Qua in descriptione Euripides videtur Sophoclis illam Pythiorum, in quibus Orestes interire fingebatur, descriptionem, cujus de virtutibus supra disputavimus, imitatus esse. Illam sicut Sophocles ita instituit, ut aptissima esset, qua Clytæmnestræ persuaderetur, Orestem Delphis interiisse, item hanc Euripides tanta perspicuitatis laude instruxit, ut præsentem rerum gestarum atque evidentem imaginem oculis quasi percipiendam præberet. In certamine equorum Pythico depingendo quemadmodum pædagogus Sophocleus studiose accurateque versatus est, simillime nuntius Euripideus sacrificationem ab Aegistho institutam, cui Orestes invitatus interfuit, persecutus est diligentissime. Ex illius oratione ut, Orestes qualis esset, apparebat, ita hinc manifesti erant mores Aegisthi. Quæ enim verba fecisse hic dicitur, ea ostendunt eum et dominandi cupidum et vero ignavum fuisse. Orestem igitur non modo odit, verum etiam metuit vehementissime. Quibus rebus permotus Nymphis sacrificans supplicat, ut perpetuam felicitatem sibi et Clytæmnestræ afferrent, inimicis autem mala. Quamobrem eadem fere hoc loco videmus Aegisthum precatum esse, quæ apud Sophoclem Clytæmnestram, quum metu somnii commota Apollini sacrificaret. Quæ tamen Clytæmnestræ preces non potuerunt non multo vehementius, quam Aegisthi, animos auditorum commovere, quippe quæ in ipsa scena a matre in liberos suos fieri fingerentur et eæ quidem ei deo,

---

[1]) Ex multis, quæ afferri possunt, hoc unum est exemplum ejus rei, de qua p. 122 disputavimus.

quem non multo antea Orestes dixerat sibi necem parricidarum imposuisse. Neque tamen hoc negari potest, inventum illud Sophocleum ad suum consilium aptissime accommodasse Euripidem. Qui, quum putaret, in urbe parricidas nece affici non posse, ita rem instituit, ut, quod sacrificium angoris conscientiæ evellendi causa ante regiam Clytæmnestra Sophoclea fecit, id in agris Aegisthus conficeret et ad epulum Clytæmnestra veniret. Hoc modo enim et justa causa uterque parricida urbem reliquit et bona Oresti occasio oblata est eos incautos diversis locis adoriundi. Quo facto prudenter idem fecit, quod procul a scena necem Aegisthi fieri finxit, quippe in qua parum tragici inesset. Magis tamen ad memoriam, quæ de Oreste ore hominum ferebatur, ea pertinuit, quam ut posset omnino præteriri, neque vero juri talionis satisfactum esset ac domus Agamemnonia restituta, nisi poenas Aegisthus dedisset meritas.

Quod autem non satis habuit, cædem illam præclara nuntii oratione oculis subjecisse, sed eo quoque animos spectantium voluit commotos, quod mortuum in scenam inferri et probris maledictisque ab Electra vexari fecit, hac in re minus recte egit Euripides. Imitari ita videtur voluisse Choëphororum illum locum, ubi Orestes, cæde facta, facinora occisorum percenset. Quod tamen Orestem vidimus illic fecisse, non quo mortuos, cupiditate ulciscendi nondum satiata, irrideret, verum factum suum ut justum esse ostenderet et incipienti conscientiæ sollicitudine se levaret. Electra vero hoc loco mortuum Aegisthum nulla alia mente vehementioribus verbis prosecuta est, nisi ut voluptatem expleret ultionis. Et ad hanc turpitudinem eam verentem, ne invidiam sibi hominum conflaret, Orestes fidenter adhortatur, quum dicit ei licere, nullo vituperante, quacumque ratione in capitalem illum adversarium consulere. Neque vero ita est comparata ratio illius orationis, quam contra Aegisthum Electra habens inducitur, ut concitato ejus animo congruere videatur. Criminum illa quidem est plena, sed justo longior et tanta rhetorum arte confecta tamque multis vel usu comprobatis vel e philosophia repetitis sententiis abundat, ut oratorem philosophiæ dicendique præceptis eruditum et in causis forensibus exercitatum magis, quam virginem deceat. Quæ quum ita sint, apparet hoc loco Euripidem et Atheniensium cupiditati litium indulsisse et suo ipsius studio auditores docendi atque erudiendi obsecutum esse[1]).

Hac Electræ accusatione tandem terminata, famulos Orestes jubet corpus Aegisthi in ædiculam occultare, ne mater, quum pervenisset, ante cædem id animadverteret. Quod vixdum erat imperatum, quum curru

[1]) Cfr. p. 120.

vecta Trojanisque ancillis stipata ac splendida veste insignis Clytæmnestra e longinquo conspicitur adveniens. Qua conspecta animo Orestes deficit et dubitatione æstuare incipit, an necem matri a se inferri non oporteat. Atque oraculum, quo Apollo Pythius matricidium præceperat, justumne sit atque sapiens, in dubium revocat. Quid? quod a genio malefico id datum esse putat? Electra autem, sitiens sanguinem maternum, animum ejus nonnihil excitat atque erigit, quum pietatis patri debitæ eum admonet et obtestatur, ne ignavum se præstet. His enim monitis permotus domum intrat, ut matrem ingressam interficiat, quamquam immane se facinus commissurum existimat. A sorore igitur Orestes ad matricidium invitus cogitur. Nihil neque religionis neque officii nec cupiditatis in ipso est, quo ad facinus illud adducatur, quod tamen nihilominus alienæ voluntati obsequens admittit. Quod insipienter ac perperam sibi præcepisse Apollinem persuasum habet, id tamen sororis rogatu perficit. Quam longe aliter egit Orestes Aeschyleus! Qui et ipse quidem rem peracturus parumper dubitavit, sed præcepti Apollinis a Pylade commonefactus cædem maternam perpetravit, non quo aliis morem gereret, sed quia persuasissimum ei erat, officio se ita fungi sanctissimo. Hunc igitur locum Aeschyleum male Euripides imitatus est.

Chorus, qui, quum de cæde Aegisthi nuntium audivisset, lætitia exsultaverat et victoriam Electræ gratulans orbem versaverat saltatorium, Clytæmnestram etiam advenientem summæ observantiæ simulatione salutat, quo ab insidiis eam securiorem redderet. Aeque beatam ac deos eam prædicat deorumque sororem eam appellat Dioscurorum. Quorum mentio hoc loco propterea quoque non erat aliena, quod in conspectum brevi erant venturi. Hac etiam in chori simulatione dissimulationeque videtur Euripides voluisse Aeschylum et Sophoclem imitari. Quorum choros vidimus his artibus et ipsos uti et agentes uti docere. Hujus autem chori partes quemadmodum multo minores sunt, quam illorum, sic ad rei exitum hæc fallacia ejus minorem vel potius nullam vim habet.

Clytæmnestra, ubi primum de curru in scenam descendit, de cæde Agamemnonis Electræ se purgare ac defendere incipit, quam defensionem Electra oratione oratorio artificio composita redarguit. Quo fit, ut hoc loco, quemadmodum in Electra Sophoclea judicii imitatio instituatur. Ex oratione Clytæmnestræ apparet eam non idcirco Agamemnoni necem intulisse, quod Iphigeniam sacrificasset, sed quia Cassandram secum Troja domum duxerat. Apparet etiam non paululum eam facinorum commissorum poenitere vehementerque conditionis Electræ eam miserere. Quamobrem hoc facile filiæ condonat, quod patrem plus, quam se diligeret, neque ei non facile satisfacit petenti, ut lustrationis

sacrum pro se puerpera perageret. Electra autem primum negat quicquam esse, quod uxorem, si modesta esset, marito concedere non oporteret, exprobrat deinde matri animi levitatem atque effrenatam libidinem, qua impulsa, simulac domo profectus esset Agamemno, viris alienis placere studeret adulteroque se dederet. Atque ut vel impietatem in filiam vel violatum matrimonii jus in patre vindicare voluisset, quibus injuriis adducta liberos domo bonisque patriis privasset, ex ea quærit. Affirmat denique sero eam poenitere, quod scelera admisisset, quippe quæ sanari non possent, domumque ingredientem his eam verbis ambiguis prosequitur: quod te diis sacrum facere oportet, id nunc facies. Ex quibus orationibus intelligi potest, quam diversis moribus Clytæmnestra apud Sophoclem et Euripidem instructa fuerit. Insolens illa erat atque audacissima. Quæcumque consiliis ejus conducere videbantur, ea non dubitabat perficere. Facinorum commissorum conscientia quamvis non vacaret, id tamen nemini umquam confitebatur. In se ipsa omnia ponebat cum Aegisthoque se magis libidine ducta conjunxerat, quam ut auctore eo aut adjutore uteretur. Hæc autem Clytæmnestra libidinosior erat atque levior, quam audacior. Nimis severe in liberos suos ex Agamemnone partos noluit consultum. Non tam sibi confidebat quam Aegistho, cui se totam dederat. Prædicavit Electræ se in iis, quæ facta essent, minime acquiescere, ejusque miseræ conditionis se magnopere miserere. Electra igitur, quæ hanc matris poenitentiam et animi infractionem nihil curaret, sed malevola irrideret, eamdem adhibuit crudelitatem, quam in mortuo Aegistho exprompserat. Nec in secunda neque in adversa fortuna ferenda fortem se atque excelsam præstitit. Ut ante adventum fratris magnam animi demissionem et desperationem præbuit, ita post agnitionem ejus, quo melius res evenit, eo major ei accessit animus atque audacia. Quanto aliter comparatum ingenium Electræ Sophocleæ! Difficultatum periculorumque magnitudine tantum aberat ut animus ejus infringeretur et abjiceretur ulciscendi spes, ut tum ipsum, quum ad ultimam inopiam pervenerat neque auxilii quicquam ab aliis erat exspectandum, constitueret rem ipsa peragere. Ex quibus rebus apparet Euripidem et Clytæmnestræ et Electræ mores ita finxisse, ut ad similitudinem eorum hominum, qui belli Peloponnesiaci ætate fuerunt, propius accederent, quam ad illorum, qui heroicis fuerunt temporibus, quorum mores Sophocles quam diligentissime depinxit. Sed ad chorum revertamur[1]).

Postquam a scena omnes discesserunt, tertium hic stasimum incipit, in quo immanem Agamemnonis cædem describit. Leænæ ritu furientem

---

[1]) De hac Euripidis ratione, qua solebat ad æqualium mores eos, quos in scenam induxit, notare, videas, quæ p. 119 disseruimus.

dicit Clytæmnestram marito, decem annorum intervallo in patriam reduci, quum lavaretur, vulnera mortifera inflixisse et verba ea pronuntiat, quibus moriens Agamemno impiam uxorem appellavit. Tum autem tempus adesse canit, quo debita impietatis poena ei esset subeunda. Ita hoc loco aptissime chorus sub aspectum auditorum subjicit nefarium illud Clytæmnestræ scelus, cujus poenas ab ea gravissimas liberos ipsius repetere statim post videbunt. Fieri enim non potuit, quin, repetita clarissimi illius Trojæ expugnatoris memoria, qui rerum gestarum gloria apud Græcos semper floruit, magnopere spectantes commoverentur et acerbissimo eam supplicio dignam existimarent, quæ tantum et tam illustrem hominem turpissima morte affecisset. Neque vero inepte verba Agamemnonis ferro percussi iis proponit, qui, carmine vix terminato, lamentabiles vulneratæ Clytæmnestræ voces mortem deprecantis intus exaudient. Hac enim in re conspiciunt sceleris illam et poenæ æquabilitatem, quam justitiæ propriam esse Græci putarunt[1]).

Matricidio igitur confecto, Orestes et Electra se domo proripiunt et foribus patefactis corpora mortua omnium in conspectum veniunt humi prostrata. Quæ intuens Orestes acerbissima cædis maternæ poenitentia affligitur sortemque matris miserrimam, quæ tanta et tam intolerabili injuria a liberis affecta esset, vehementer miseratur ac deplorat. Vituperat Apollinem, quod tam sævum præcepisset facinus; vituperat sororem, quod omnis immemor pietatis ad id perficiendum se invitum impulisset. Exponit, quomodo mater sibi cædem facturo mammam ostenderet, ad pedes suos se projiceret, mentum manu perhendens misericordiam suam imploraret, quomodo de manibus suis tum ferrum dimitteret, sed a sorore redditum, objecto oculis pallio, in matris jugulo defigeret. Neque vero Electra non fatetur in culpa sceleris se esse maximeque matris miserentem impie facti eam valde poenitet. Qua animi sollicitudine vexata lamentatur ac negat se habere, quo se verteret. — Sic affectis matricidis subito Dioscuri avunculi se offerunt et rem componunt. Merito dicunt Clytæmnestram capitis poenam subiisse, insipienter autem Apollo Oresti præcepisse, ut matricidium perficeret. Fato tamen ac Jovis voluntate præscriptum esse, ut Electram Pylades in Phocidem reversus uxorem duceret et rusticum illum, cui matrimonio juncta esset, amplis afficeret præmiis, Orestes autem, cui, matre interfecta, urbem patriam intrare non liceret, ut Athenas primum confugeret, ubi eum Minerva implorata ab agitantibus furiis defenderet et Areopagitarum judicium paribus in utramque partem sententiis crimine liberaret, quippe quum Apollo, qui cædem jussisset, culpam sibi ipse

[1]) Cfr. p. 49, annot. 3.

attributurus esset, deinde in Arcadiam profectus urbem, quæ nomen ab eo haberet, apud Alpheum flumen conderet ibique in posterum vitam beatam viveret. Addunt fore, ut Aegisthum Argivi sepulcro conderent, ut Clytæmnestram Menelaus et Helena reduces sepelirent. Audito hoc divino decreto graviter Orestes et Electra dolent atque queruntur, quod vix inter se redditi in perpetuum divellerentur patriaque essent semper carituri, et magno cum fletu ac gemitu salutem sibi invicem dicunt plurimam. Cui querelæ finem imponunt Dioscuri, quum Orestem jubent Athenas se conferre, ut horribiles matris furias effugeret, ipsos autem ad mare Siculum se properaturos prædicant, ut probos tempestate jactatos servarent, improborum incolumitatem nihil curantes.

Exodum hanc Electræ Euripideæ si considerabimus, ad similitudinem exodi Choëphororum prope accedere facile inveniemus. In utraque Orestem videmus conscientia matricidii vehementer stimulatum, in utraque, furiarum vexatione ut liberaretur, e patria aufugientem. Quibus rebus proponendis Aeschylus animos spectantium apte præparari voluit ad eas res spectandas, quas in ultima trilogiæ fabula proposuit, Euripides autem spectavit, ut oculis subjiceret, quomodo culpa sceleris matricidæ liberarentur. Quemadmodum enim Sophocles[1]), sic Euripides tragoedias suas ita composuit, ut, etiamsi in compluribus fabulis res proposuit, quæ ad eandem pertinerent memoriam, eæ tamen fabulæ nullo sive trilogiæ sive tetralogiæ vinculo ut apud Aeschylum cohærerent, sed unaquæque per se totum quiddam conficeret. Exempla sunt hæc ipsa Electra et Orestes et utraque Iphigenia, quæ fabulæ, quamquam in rebus ad eandem domum pertinentibus versantur, diversis tamen temporibus datæ sunt. In hoc igitur exitu Electræ componendo Euripides nullam aliam tragoediam a se doctam neque respicere debuit nec vero respexit. Orestis enim in fabula, quæ in eodem fere argumento, quo Eumenides Aeschyli, versatur, longe aliter, quam hic significatur, liberatio Orestis proponitur. Quæ quum ita sint, imitatio Aeschyli hoc loco minime est probanda. Aliud erat ante oculos ponere, quomodo patris ulciscendi causa matricidium fieret, aliud, matricida quemadmodum crimine absolveretur. Hoc Sophocles quum vere intelligeret, proposita parricidarum vindicta, finem ut actionis, ita fabulæ fieri voluit Electræ suæ.

Quod vero Euripides, quum Orestem conscientiæ stimulis vexatum exhiberet, Electram quoque sollicitudine agitatam induxit, in eo rectissime egit, quippe quum minorem in matricidii partem hæc, quam ille

---

[1]) Cfr. p. 69.

minime haberet. Hinc autem factum est, ut, si illius liberationem proponeret, hæc etiam quomodo ad animi tranquillitatem perveniret, ostendere necesse esset. Neque profecto hoc facere omisit. Inconstanter autem voluit Orestem a furiis matris agitari, Electram non item. Qua in re animadverti potest, Euripidem furias non ex animi angore ac sollicitudine, ut Aeschylum, profectas, sed jussu fati nescio cujus ad matricidam persequendum aggredientes finxisse. Neque enim sentit nec videt eas Orestes, ne suspicatur quidem fore, ut se insectarentur, quum maxime conscientiæ cruciatu angeretur, et a Dioscuris demum comperit, vexationem sibi earum instare. Quo modo apparet omni veritate eas privari et omni vi, quæ quanta ab Aeschylo fingeretur, in Choëphoris vidimus. Furiarum vero potestati non plus fidei Euripides adjunxit, quam aliis numinibus, quorum opinionibus imbuti fuerant majores. Nihil furias esse nisi opinionis commenta ut Electram in Orestis fabula fratri dicentem facit[1]), ita hoc loco earum vim sic proponit, ut ne Orestes quidem ejus conscius esse videatur.

Opiniones de diis patriis majorum quam parvi Euripides duxerit, e compluribus hujus tragoediæ locis videre licet. Non modo Orestes, verum etiam Dioscuri aperte dicunt insipienter Apollinem id oraculo edidisse, ut matrem filius interficeret. Quod gravissimam habet offensionem. Quid enim? Orestes, quum neque pietate permotus nec justitiæ Apollinis fidem ullam habens matricidium perficeret, tæterrimum facinus non commisit? At coactus est præcepto Apollinis. At si res ita se habet, quid facti eum poenitet et quo jure eum e patria ejectum et a furiis agitatum vult Juppiter? Ac Dioscuros deos quod insipientiæ Apollinem insimulantes inducit Euripides, nonne perspicue eo ostendit, se nullo in numero auctoritatem illius dei putare?[2]). Quem igitur deum optimi temporis Græci maxima sapientiæ laude ornatum existimaverant, quem Aeschylus et Sophocles sapientem et veridicum Jovis consiliorum interpretem celebraverant[3]), eum Euripides suis æqualibus insipientiæ vitio affectum fingere ausus est. Sapientissimæ deæ sententia apud Aeschylum Orestes liberabatur, quod Jovis voluntatem ab Apolline patefactam secutus erat, Jovi autem apud Euripidem placet, crimine Orestem absolvi, quod Apollo, cujus impulsu facinus in se admisisset, om-

[1]) Orest. v. 259.

[2]) Alias quoque multis locis apud Euripidem et agentes et chorus insipientiæ Apollinem atque injustitiæ insimulant, ut Orest. 28, 76, 160, 162—5, 276, 285—93, 417, 595. Iphig. Taur. 77, 570—5. Androm. 1160—5. Ion. 436—51.

[3]) Vide Hom. Hymn. in Apoll. 132, 252; Il. 2, 371; Od. 4, 341; Xenoph. H. G. 4, 7, 2; Pind. Pyth. 3, 28—30; 9, 42—9; Aeschyl. Ch. 559; Eum. 19, 615; Soph. Oed. T. 481, 498—9, Electr. 659, Oed. C. 623.

nem sustineret culpam. Post autem Dioscuri Electræ interroganti, quinam Apollo aut quæ oracula ad matricidium se impulissent, atque choro ab iis quærenti, quidni, dii quum essent et Clytæmnestræ fratres, perniciem a domo Agamemnonia depulissent, responderunt, uni eidemque majorum pesti et Electram et Orestem succubuisse et in fati necessitate positam fuisse sortem Clytæmnestræ. Unde apparet in culpa fuisse fatum, non Apollinem, qui nihil aliud quam fati decreta aperuisset, Euripidemque, quum Apollinem insipientiæ accusatum fingeret, idem vitium in omni rerum gubernatione reprehensum voluisse. Quod, quamquam permirum videtur, a consuetudine Euripidis minime abhorret. Cujus personæ sæpenumero vetera et more majorum tradita in rebus non modo humanis, verum etiam divinis vituperant et nova melioraque postulant[1]). Quæ res maximo est documento, Euripidem mores earum, quas induxit, personarum non ad ingenium illius ætatis, unde sumptæ erant, depinxisse, sed ad eorum temporum rationem, quibus ipse fuit, accommodasse. Quo factum est, ut, quæ opinionum de omnibus rebus licentia sophistarum temporibus dominabatur, ea heroicæ ætati tribueretur. Quod Protagoræ placuerat, id cuique verum esse, quod cuique videretur, et omnium rerum mensuram esse hominem[2]), ultimæ antiquitatis homines perinde, ac si idem sensissent, et dicentes et agentes inducti sunt. Ad suum igitur quisque arbitrium atque utilitatem omnia revocavit. Nihil per se rectum esse, nihil contra duxerunt, nihil, quod per se esset aut expetendum aut fugiendum. Sic autem qui existimarunt, non credidisse patet, deorum numine res humanas ratione et æternis legibus regi atque administrari, sed in temeritate fortunæ, quomodo quidque gereretur, positum esse. Hoc modo multo majores Euripides, quam Aeschylus et Sophocles, fato tribuit partes atque adeo aliam ejus vim esse voluit. Ex arbitrio ejus homines totos pendentes finxit. Ut hoc loco Dioscuri dicunt fatali necessitate factum esse, ut Clytæmnestræ necem inferrent liberi. Quod quum ita esset, nihil sane mirum, si culpa matricidæ liberarentur. Nihil enim sceleris in se admiserant. Nisi forte machina, si morte aliquem affecerit, scelus admisisse dici potest. Tale autem ludibrium fortunæ si homo sit, nihil est dubium, quin omnem tragoediam valere dicendum sit. Tolle enim libertatem e vita, omnem actionem sustuleris. Hoc Euripides etiam vi-

[1]) Ut in Ion. vv. 1212—19; Fragm. 24, (ed. Witzschel. p. 286); Helen. 744—57; Fragm. Antiopæ 30 et 31 p. 193; Fragm. Autolyci vv. 13—28; Med. 190—8; Fragm. Cresph. 13 p. 228; Fragm. In. 13 p. 222; Herc. f. vv. 655—72, 1341—6; Phoeniss. 86—7; Iphig. Taur 380—91; Fragm. Belleroph. 23 p. 206; Fragm. inc. 1 p. 282, 113 p. 297.

[2]) Vide Sext. Emp. adv. Log. 7. §§. 61 et 388; Cic. Acad. 2, 46.

detur sensisse, quum non modo Orestem, verum etiam Electram post matricidium factum conscientiæ stimulis vexatos induceret nihilque ipsos de culpæ sua vacatione scientes. Immanius autem facinus quum matricidium ei videretur, quam ut ulla liberis nisi necessitatis excusatio dari posset, culpam ab iis ita, ut supra diximus, amovit. Qua in re ut et spectatores et agentes acquiescerent neve loci quid dubitationi relinqueretur, deos procedentes finxit, qui ignorantes de vera rei ratione certiores facerent.

Neque vero in hac tantum tragoedia, sed in multis etiam aliis [1]) rem Euripides ita instituit, ut in exodo dii prodirent et difficilem, in quem agentes incidissent, nodum expedirent. Quod quidem percommodum erat, sed tragoedia tamen parum dignum. In ea enim ut nihil fortuitum, nihil inopinatum inesse decet, ita solutio ejus ex ipsa fabulæ compositione nasci, non extrinsecus afferri debet. Hoc jam Aristoteles vidit, qui Euripidem ceterosque reprehendit, qui deo ex machina uterentur [2]). Hoc etiam alii multi veterum scriptores intellexerunt, a quibus poetas tragicos irrideri videmus, quod aut ad rei difficultates expediendas nodosque indissolubiles discindendos aut ad animos spectantium gravius commovendos confugissent ad deum [3]). Quo quia sæpissime decurrerunt, vulgo et proverbii loco dici solebat, si quis cuipiam in angustias adducto adesset, eum tamquam deum ex machina adesse. Ante Euripidem autem hoc artificio tragici videntur perraro usi esse. In Aeschyleis, quæ exstant, tragoediis nullum invenitur exemplum. Ex iis quidem fabulis Sophocleis, quæ integræ ad nostram ætatem pervenerunt, Philoctetes sola est, cujus ad exitum explicandum Sophocles deum adhibuit. Quo tamen ita usus est, ut non extrinsecus allatus videretur, sed tota fabulæ compositione quæsitus et præparatus. Nihil novum et inopinatum Hercules pronuntiat, sed quod Ulixes dolo aut vi, quod Neoptolemus precibus a Philocteta impetratum voluerat, quod denique oraculo erat editum, hoc idem Jovis voluntati congruere affirmat. Qua de re qui Philoctetæ persuaderet, nemo erat aptior, quam Hercules, qui amicissimus arma sua, quibus solis Troja expugnari potuit, muneri ei dederat. Ad Euripidem igitur unum, quod quidem e superstitibus tragoediis colligi possit, iniqua illa veterum, quorum locos modo attulimus, de dei ex machina usu judicia sunt revocanda. Hic enim primus coepit deum illum ita inducere, ut nulla re præparatus subito et præter omnium et agentium et vero spectan-

[1]) Vide p. 125 ann. 4. [2]) Art. poet. (ed. Herm.) c. 18.

[3]) Cfr. Plat. Cratyl. p. 425, d. Clitoph. p. 407; Plutarch. Themist. 10; Polyb. 3. 48. 8; Cic. de Nat. D. 1. 20; Hor. epist. ad Pis. 191. Demosth. in Boeot. § 59. Antiphan. ap. Athen. VI. 222.

tium opinionem appareret et ad eum exitum, quem nemo suspicari poterat, arbitrio suo rem perduceret[1]). Ut hujus in tragoediæ exitu Dioscuri repente comparent et in eam partem omnia vertunt, quæ priore fabulæ compositione nihil significata sit. Non jam dicam de furiis, quas Orestem persecuturas esse denuntiant; præteribo, quod Athenas ad Minervam, de qua mentio antea nusquam facta est, ac non Delphos ad Apollinem[2]), qui matricidium præceperat et cujus erat parricidio contaminatos lustrare[3]), eum confugere jubent; prætermittam illud etiam, in judicium eum Areopagi ab iis quasi vocari, ut Areopagitarum sententiis liberatus in Arcadiam discederet, qua re Euripides nihil aliud quam et Atheniensibus blandiri et aliam quandam, quam Aeschylus, de Oreste memoriam celebrare videtur voluisse; mittam quærere, quid ad rem pertinuerit narratio illa de Helena, qua ferebatur in Aegypto ipsa fuisse, imago autem ejus Trojam a Jove missa esse, ut funestum inter homines bellum oriretur[4]); hoc unum dicam, nihil magis præter

---

[1]) Voluit etiam sine dubio Euripides ipso aspectu deorum ex machina in aëre apparentium jucundum spectaculum præberi spectatoribus, quos cupidissimos esse noverat res miras atque insolitas spectandi.

[2]) In Orestis autem fabula Euripides inducit Orestem ab Apolline arcu donatum, quo furias agitantes arceret (vv. 268—70).

[3]) Ut deus lustrationis **καθάρσιος** Apollo appellatur et **ἰατρόμαντις** et **ἀποτρόπαιος** et **σωτήριος**. Cfr. Aeschyl. Eum. vv. 62, 163, 204, 578; Ag. 512. Soph. Oed. T. 154, 304. Aristoph. Plut. 855. Plutarch. reip ger. 19.

[4]) Quod ex hac Helenæ mentione docti quidam collegerunt, Euripidem Helenæ fabulam, in qua, Stesichoro usus auctore, eandem de Helena memoriam proposuit in idem certamen atque Electram commisisse, ita ut secundum tetralogiæ locum obtineret, hac conjectura vereor ne magis illi eam, quam voluerunt, rem non probaverint, quam qui ex eo, quod Dioscuri dicunt se in mare Siculum ad proborum naves servandas abituros et caveri id jubent, ne quis una cum perjuro homine navi veheretur, conclusum volunt, hanc Electræ tragoediam eo ipso anno doctam esse, quo classis Atheniensium a Syracusanis everteretur, et Alcibiadem affirmant perjurii mentione designari. (Vide Hartungi Eurip. restit. II. pp. 301—4; Bergkii diss. in Mus. Rhen. a Welck. ed. p. 1587). Qua enim re adducti putabimus, Euripidem, quum tetralogiis certaret, quarum singulæ fabulæ nulla argumenti perpetuitate cohærerent, in priore earum significasse, quid in posteriore propositurus esset? Hoc de Euripide affirmare nihil aliud est nisi summam ei in tragoediis suis componendis negligentiam exprobrare. An negligentis non est artemque nihil curantis, in opere artificioso res proponere ab argumento alienissimas, propterea quod spectantibus significatum vult, in iis rebus proponendis aliud opus, cui tamen cum priore nihil erat commune nisi locus et tempus commissionis, versaturum esse? Quæ autem Dioscuros de mari Siculo deque navibus in eo tempestate agitatis Euripides facit dicentes, iis num minus consentaneum est Ulixem ejusque comites significari? Quos constat eodem tempore, quo Orestes patrem ulciscebatur, procella cum tonitribus oppressos, Ulixe uno excepto, omnes periisse, quod jurisurandi religione neglecta, quo eos Ulixes adegerat, boves Solis jugulatos comedissent.

omnem exspectationem, nihil a tragoediæ gravitate magis alienum accidere potuisse, quam ut nuptiæ hoc loco Electræ et Pyladis conciliarentur. Hoc nonne aperte erat conscientiæ sollicitudinem Electræ illudere? Cui sollicitudini, quam non minorem esse oportebat, quam in qua erat Orestes, non plus tribuebatur, quam quæ ita amoveri posset, ut, divortio cum paupere illo agricola facto, spes Electræ viro auctoritate atque opibus ornato nubendi proponeretur. Agricolam sicut divitiis augeri probitatis ergo continentiæque, ita Electram propter labores exanclatos eo præmio affici Euripides voluit, ut bene nuptam in posterum vitæ eam sortis non poeniteret. Quanto melius rem expedivit Aeschylus in Eumenidibus, ubi Orestes ad animi tranquillitatem non ante pervenit, quam sapientissimæ deæ sententia a culpa liberatus est, quod patrem ulciscens officium explevisset sanctissimum. Hunc autem exitum apparet comoediæ multo magis, quam tragoediæ convenire. Quod considerantibus mirum nobis non videtur, si fuerunt, quibus in suspicionem veniret, Euripidem voluisse memoriæ Oresteæ argumentum, in quo tractando majore cum gravitate, quam qua res digna esset, priores tragici versati esse ei viderentur, ad ludum et jocum convertere fabulamque hanc suam ita componere, ut pro dramate satyrico quarto tetralogiæ loco, quemadmodum Alcestis fabulam datam esse constat[1]), doceri posset[2]). Quæ res tamen, quum nullis veterum testimoniis confirmari possit, integra est relinquenda. Neque vero sola est hæc tragoedia, cujus res ad istiusmodi exitum Euripides adduxit[3]). Nemo autem ante Euripidem poeta tragicus ausus est nodum fabulæ matrimonio expedire eumque hac in re, ut in aliis multis, posterioris, quæ nova appellatur, comoediæ principes ad imitandum sibi proposuisse videntur.

---

[1]) Vide Argument. Alcestis.

[2]) Cfr. Bernhardyi Grundriss d. gr. Litt. II, 2. p. 431 ed. sec. Schneidewini Sophokles V. p. 34 ed. sec. Queckii disp. de Eurip. Electra p. 71.

[3]) In exitu fabulæ Orestis vel binas nuptias ad rem componendam conciliari facit.

Corrigenda:

P. 4 v. 7 l. ulciscendi
„ 7 „ 6 „ inimica vox
„ „ „ 7 „ plaga mortifera
„ 9 „ 33 „ illa *pro* ille
„ 10 „ 4 „ protrivit
„ „ „ 21 „ ulciscen-
„ 13 „ 35 „ ea *pro* ex
„ 14 n. 2 v. 2 l. Od. 3. 305.
„ 16 v. 5 l. qua tumulo
„ „ n. v. 7 l. Thespim
„ 19 v. 26 l. bonitate est,
„ 28 „ 17 „ Antigonam
„ 31 „ 20 „ fiat,
„ 32 „ 24 „ tragoediæ
„ 33 n. 1 v. 4 l. ut *pro* ne
„ 35 „ 1 „ 25 „ voluerit
„ 41 „ 1 „ 6 „ τροις
„ 43 „ 1 „ 16 „ luco
„ „ „ „ „ 21 „ Philoctetæ
„ „ „ „ „ 30 „ Orestes
„ 48 v. 7 l. Clisthene [2]).
„ 49 n. 3 v. 3 l. Theogn.
„ 52 v 5 l. sua non con-
„ „ „ 15 „ gestæ
„ 58 „ 3 „ considerandum
„ 64 n. v. 3 l. persuadet,

P. 66 v. 10 l. fabulæ
„ 67 „ 8 „ consectarentur
„ 71 „ 9 „ impelli Orestem,
„ 73 n. v. 25 in Homeri
„ 83 v. 17 l. atque *pro* neque
„ 85 „ 11 „ suisque Electra
„ „ „ 18 „ in hac
„ 87 „ 16 „ propensionem
„ „ „ 28 „ inierit
„ 88 „ 34 „ Clytæmnestra
„ 89 „ 9 „ Apollini
„ 92 n. 1 v. 3 l. Siciliense
„ 95 v. 38 l. turpitudini
„ 101 n. 5 v. 5 l. obtinerent,
„ 107 „ „ 1 „ finem facit:
„ 117 v. 25 l. valuerunt,
„ 122 „ 15 „ comoediæ
„ „ „ 18 „ comoediis [3])
„ „ „ „ 30 „ factæ
„ 128 n. 4 v. 3 l. Aristophaneus,
„ 133 v. 27 l. secessit
„ 137 „ 12 „ Aeschyli
„ 142 „ 23 „ eandem
„ „ „ 39 „ furentem
„ 144 „ 39 „ matricidio
„ 146 „ 34 „ omni tragoediæ